3 1761 07824625 3

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/gesammelteschrif01momm

499

51

I

GESAMMELTE SCHRIFTEN

VON

THEODOR MOMMSEN

I. ABTEILUNG:

JURISTISCHE SCHRIFTEN

ERSTER BAND

BERLIN
WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG
1905

JURISTISCHE SCHRIFTEN

VON

THEODOR MOMMSEN

ERSTER BAND

MIT MOMMSENS BILDNIS UND ZWEI TAFELN

1206 v-1
3 | 2 | 12

BERLIN
WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG
1905

DG
15
M64
Bd. 1

Weimar. — Hof-Buchdruckerei.

Vorwort.

Bereits mehrere Jahre vor seinem Tode ging Mommsen mit der Absicht um, die ungeheure Masse seiner weit zerstreuten Abhandlungen gesammelt und gesichtet herauszugeben. Zu diesem Zwecke hatte er etwa im Jahre 1898 das Zangemeistersche Verzeichnis seiner Schriften mit mir durchgesehen und eine Verzettelung und Anordnung derselben nach den verschiedenen Disziplinen ausführen lassen. Aber die Bearbeitung des römischen Strafrechts und in den letzten Jahren des Theodosianus hinderte ihn an der Durchführung seines Planes. In seinem im Jahre 1902 aufgesetzten Testament richtete er daher an Karl Zangemeister und an mich das Ersuchen, uns 'soweit er selbst dazu nicht kommen sollte, der Herausgabe seiner kleinen Schriften zu unterziehen'. Er fügte hinzu: 'Die Publikation von Kollegienheften untersage ich schlechthin. Im übrigen kennen die bezeichneten Freunde meine Ansichten und insbesondere meinen Wunsch, nicht als Polygraph fortzuleben, sondern einen beträchtlichen Teil meiner Arbeiten als ephemer und zur Wiederholung ungeeignet behandelt zu sehen. Falls einer der beiden Genannten vor mir mit dem Tode abgehen sollte, so bleibt für den Überlebenden die Bestimmung in Kraft'. Durch das frühzeitige, noch vor Mommsens Tod eingetretene Hinscheiden Zangemeisters ist mir die Pflicht zugefallen, diesen letzten Willen Mommsens zu erfüllen.

Noch in demselben Jahre 1902 hatte Mommsen mit der Sammlung seiner juristischen Schriften begonnen und dafür in Bernhard Kübler einen sachkundigen Mitarbeiter gefunden. Mommsen bestimmte drei Bände für diese Sammlung und stellte ihren Inhalt bis ins einzelne fest. Der erste Band sollte die von ihm, zum Teil im ersten Bande des Corpus inscriptionum Latinarum behandelten antiken Gesetzestexte mit den Kommentaren enthalten, der zweite die Abhandlungen über römische Juristen und römische Gesetzbücher, der dritte seine sonstigen Beiträge zur römischen Rechtsgeschichte. Auch nahm er sofort die Neubearbeitung der großenteils weit zurückliegenden Kommentare in Angriff, so daß er bereits im Dezember 1902 mit dem Druck des ersten Bandes beginnen konnte. Aber teils die durch die Fertigstellung des Theodosianus ihm erwachsene große

Arbeit, mehr noch das Schwinden seiner Sehkraft brachte den Druck im Mai 1903 schon bei dem vierten Bogen ins Stocken, und es sollte ihm nicht mehr vergönnt sein, ihn wieder aufzunehmen.

Nach Mommsens am 1. November 1903 erfolgten Tode übernahm auf Bitte der Testamentsvollstrecker Kübler die selbständige Drucklegung der juristischen Schriften, deren erster Band dank seiner energischen Förderung der Arbeit jetzt zur Ausgabe gelangt. Von Vorarbeiten Mommsens fanden sich in seinem Nachlaß nur ziemlich umfangreiche Zusätze aus seinem letzten Lebensjahr zu seinem Kommentar zu den Stadtrechten von Salpensa und Malaca; diese sind durch ⟨ ⟩ Klammern kenntlich gemacht. In den übrigen Abhandlungen hat sich der Bearbeiter darauf beschränkt, die Zitate nachzuprüfen und nach den kritischen Ausgaben unserer Zeit zu gestalten, ferner die seither erschienene in Betracht kommende Literatur anzugeben und auf die großenteils von Mommsen selbst in seinen späteren Schriften, oder von anderen gegebenen Berichtigungen kurz hinzuweisen, gemäß der von Mommsen in einem Briefe an Kübler gegebenen Erklärung: 'ich will dabei nur aufnehmen, was unvermeidlich ist, aber geradezu Fehlerhaftes und Beseitigtes will ich doch nicht wieder abdrucken'.

Die in [ ] Klammern eingeschlossenen Zusätze rühren auf den ersten vier Bogen von Mommsen, auf den späteren von Kübler her. Die dem jetzigen Stande der Wissenschaft entsprechende Zitierung der Inschriften wird zum großen Teile Hermann Dessau verdankt; außer ihm haben bei der Korrektur Ludwig Mitteis und für die Papyrus-Urkunden Ulrich Wilcken freundlich mitgewirkt.

Das diesem Bande beigegebene Bildnis Mommsens ist nach einer im Jahre 1896 von Brogi in Florenz gefertigten Photographie hergestellt.

Die beiden noch ausstehenden Bände der juristischen Abteilung werden so bald als möglich dem ersten folgen. Gleichzeitig soll die Herausgabe der historischen, philologischen, epigraphischen und numismatischen Schriften in Angriff genommen werden. Die Bände werden innerhalb der einzelnen Abteilungen gesondert gezählt werden; für ausreichende Register soll Sorge getragen werden. Über die im Sinne der testamentarischen Bestimmung Mommsens zu treffende Auswahl wird vor den einzelnen Abteilungen Bericht erstattet werden.

Charlottenburg im November 1904.

Otto Hirschfeld.

Inhaltsverzeichnis.

Seite

Lex Repetundarum 1
Lex Agraria 65
Lex municipii Tarentini 146
Über den Inhalt des rubrischen Gesetzes 162
Ein zweites Bruchstück des rubrischen Gesetzes vom Jahre 705 . . 175
Zu C. I. L. XI, 1146 192
Lex coloniae Iuliae Genetivae Urbanorum sive Ursonensis 194
Legis coloniae Genetivae c. LXI—LXXXII 240
Die Stadtrechte der latinischen Gemeinden Salpensa und Malaca in der Provinz Baetica 265
Sententia Q. M. Minuciorum inter Genuates et Viturios 383
Zwei Sepulcralreden aus der Zeit Augusts und Hadrians 393
Aegyptisches Testament vom J. 189 n. Chr. 429
Das Testament des C. Longinus Castor (Nachtrag) 442
Aegyptischer Erbschaftsprozess aus dem J. 124 n. Chr. 445
Aegyptischer Erbschaftsprozess vom J. 135 n. Chr. 456
Aegyptische Papyri 465

LEX REPETVNDARVM[1].

a . u . c . DCXXXI vel DCXXXII . CXXIII vel CXXII ante Chr.

Quo tempore quove loco tabulae aeneae ingentis utrimque scriptae hae non minimae reliquiae repertae sint, plane ignoratur; nisi quod cum emersisse simul omnes vix in dubitationem vocari possit, una autem earum (nobis A) edita sit anno iam 1521, ante hunc annum inventae sint necesse est. Romae eas effossas esse eo quod in volumine Mazochiano urbanorum epigrammatum illa tabula extremo loco adhaesit, minime probatur; neque argumentum utriusque legis impedit, quominus in foederata aliqua civitate tabula olim prostiterit. Certe ut Romae vel inventae sint vel paullo post inventionem eo allatae, tamen Mazochiana aetate tabulae aut inde rursus ablatae erant aut latebant; nam syllogen illam qui curavit Franciscus Albertinius vel eam operam qui continuavit anonymus sic inscripsit: '*decreti fragmentum quod ubi sit ignoratur*', item appendicis ad eam syllogen auctor Accursius hoc epigramma inter ea retulit, quae vidisse se negat. Nos quid de his tabulis tum factum sit, nescimus, nisi quod editae pars inferior interiit interieruntque fortasse simul cum ea alia fragmenta, quorum hodie ne memoria quidem superest. Contra et editae (A) partem superiorem et reliqua fragmenta omnia B C D E in museum cardinalis Petri Bembi mortui Romae anno 1547 inlata esse aut certis argumentis aut coniectura probabili adsecuti sumus. Nam tabulas duas maximas A B*ab* Sigonius cum Patavii profitebatur repperit ibi in nobilissimo, ut ait, Petri Bembi cardinalis museo (de iudic. l. 2 c. 27: de ant. iure Ital. l. 2 c. 2). Repperit autem eas inter a. 1560 et 1568, nam illo anno et librum de antiquo iure Italiae edens agrariae legis fragmentum ex Mazochio solo citat (p. 68 ed. 1560) et in epistula a. d. 17. Febr. 1560 Venetiis Romam scripta petit a Pan-

1) Commentarius prodiit primum in C. I. L. I (1863) n. 198 p. 49—72. In hac editione mutata additave potiora comprehenduntur uncis quadratis.

vinio, ut tabulae Mazochianae emendatum exemplum sibi paret: *non è possibile che non ve ne sia copia migliore in Roma* (Sigonii opp. 6, 1011): contra citat tabulam B in commentario de iure antiquo provinciarum p. 125 ed. principis, quae prodiit Venetiis a. 1568. Deinde tabulae D particulas *b c* vir doctus is, ad cuius exemplum eas edidit Pighius, transcripsit Venetiis apud heredes Petri Bembi (Pighius ann. 3, 137). Denique ex Bembino museo tabulas se comparasse Ursinus scribit (in notis ad Cic. ad Att. 1, 18 p. 109 ed. pr.) idemque confirmat epistula Antonii Augustini ad eundem Ursinum data die 18. Aug. 1575, ubi dicuntur *le tavole trovate nello studio di Bembo* (Augustini opp. ed. Luc. 7, 258); Ursini autem fuisse constat tabulas hodie musei Neapolitani regii A (excepta scilicet parte inferiore) B*abc* D*abc* recensitas etiam in inventario rerum eius post obitum facto (Nolhac *mélanges de l'école française* 4 [1884] p. 180 n. 3. 4). Deficiunt certa testimonia et de lamminis hodie Vindobonensibus C D*d* et de lammina, quae in Galliam ablata est E; sed has quoque olim apud Bembum fuisse probabiliter conicere nobis videmur. Nam Bembus quae collegerat heredes passim distraxerunt; cumque Torquatus Bembus papyrum Graecam a. 1553 vendiderit Iohanni Sambuco eaque hoc mortuo a. 1584 bibliothecae Caesareae Vindobonensi inlata sit (Marini pap. p. 382), simul duae illae lammellae Venetiis videntur migrasse Vindobonam. De tabula E hoc tantum constat eam ante a. 1557 innotuisse Paulo Manutio Veneto eamque a. 1564 vel paullo ante inlatam esse in museum regium quod tum fuit apud Fontainebleau castrum; videtur igitur haec quoque tabula in museo Bembino fuisse et similiter Gallis vendita esse atque duae illae Germanis. — Postea quae tabularum harum vicissitudines fuerint, ex superioribus fere apparet. Ante a. 1575, ut constat ex Augustini epistula supra relata, tabulas A B*abc* D*abc* emit Ursinus. Una cum iis accepisse videtur tabulae E exemplum, nam d. 11. Nov. 1575 Augustinus Lerida ita scribit ad Ursinum (l. c.): *Ho avuto una lettera di V. S. con li cinque fragmenti della legge agraria*, quae sunt, ut ex locis deinde in epistula allatis constat, Ursinianae 1 (= B*ab*), 4 (= A), 5 (= D*abc*), 7 (= E), praeterea ut videtur 6 (= B*c*). Vindobonenses duas C (= 3 Urs.) D*d* (= 2 Urs.) Ursinus numquam possedit et ne descriptas quidem habuit, cum reliquas Augustino misit, nam quinque tabulas solas hic amico refert acceptas neque C D*d* ullo loco citat adeoque scribit: *del fine delle righe non sono sicuro pur di una sola, tutte mi pajono imperfette,* quod si tabulam C novisset, certe non posuisset. Quare harum lammellarum exempla post a. demum 1575 Ursinum unde-

cumque sibi paravisse oportet. Post Ursini mortem quas possedit tabulae cum reliqua eius antiquarum rerum supellectile venerunt in museum Farnesianum, quocum Parmam primum migraverunt, denique a. 1732 Neapolim in museum publicum, ubi hodie prostant. — Tabulae duae, quas c. a. 1553 Vindobonam allatas esse supra vidimus, per duo fere saecula servatae videntur esse in museo Ambrasensi, ubi a. 1762 et 1777 eas viderunt Garampius et Primisserus infra suis locis citandi; paullo post Vindobonam in museum Caesareum transierunt. Quarum alterius c praeterea falsum exemplum circumfertur servatum ante a. 1740 in museo Barberino, ubi Muratorio (574, 1) descripsit Bimardus, deinde, ut constat ex nota in ipso tabulae margine perscripta, a S. Marini libera civitate a. 1801 cardinali Borgiae dono datum est, postremo cum reliquis Borgianis cimeliis in museum Neapolitanum migravit. — Denique tabulam E in regis Galliarum bibliotheca adservari scripsit Cuiacius a. 1564; in regia Fontis Blandi bibliotheca Hamo a. 1567 a Mabillonio allegatus; in regia bibliotheca Brissonius a. 1583; qui praeterea de ea rettulerunt aut de loco tacent, ut Turnebus Scaliger Vinetus, aut nugantur; nam quod fallacissimus testis Boissardus praescripsit 'e Capitolio', ex ingenio appinxisse eum hodie nemo dubitabit. [Probabile est inter turbas civiles, per quas saec. XVI exeunte ut Gallia tota devastata est, ita teste Petro Dau (*le trésor des merveilles de la maison royale de Fontainebleau* 1642 f. 84) cimelia complura ex museo illo dispersa sunt, hoc quoque aes inde ablatum esse. Neque tamen eo tempore periit, sed tantummodo dominum mutavit. Scilicet in epistula scripta a. 1625 Mai. 2 a Peirescio ad fratrem dominum de Valavez[1] leguntur haec: *Je ne scay si je vous avois dit que M. du Moustier avait arraché des mains de Monsieur frère du Roy* [is est Gaston d'Orleans frater regis Ludovici XIII], *un fragment de table d'airin, grand comme une feuille de papier, toute ouverte, escripte des deux costez, où il y a des restes de Loix agraires du temps de la seconde guerre punicque, dont je faisois bien du cas. Je vouldrais que, l'allant visiter, vous prinssiez occasion de l'emprunter et puis jetter quelques propos pour sentir s'il trouveroit mauvais que vous me l'eussiez envoyé soit pour quelque temps seulement, ou pour tousjours, ou pour luy en demander la succession après luy, puisque sa maladie le rend si chagrin et desgouté des choses qu'il avoit, comme on m'a dit qu'il*

1) Edita est in epistulario Peiresciano (*lettres de Peiresc publiées par Philippe Tamizey de Laroque* vol. 6 Parisiis 1896 p. 172). Epistula quo pertineat, agnoverunt viri docti Francogalli apud Laroquium et Omontium (vide infra p. 6) Viollet et P. F. Girard.

est desgousté. Voyez de mesnager cela selon votre dextérité accoutumée. Idem repetit in epistula altera scripta ad eundem a. 1625 Sept. 9: *Je . . . vouldrois bien que vous n'oubliassiez pas la table de cuivre de M. du Moustier.* Pictoris Danielis Dumoustier († a. 1631) passim epistulae eae meminerunt, neque tamen quidquam amplius de tabula illa adfertur: neque postea quod sciam ulla memoria eius invenitur.] Eam cum iam saeculo XVII extremo frustra quaesiverit Mabillonius, item hodie in museis Parisinis eam non extare a Klenzio Rudorffioque rogati periti viri inquisitione facta rettulerint, interiisse eam iam constat.

Omnia harum legum quae supersunt fragmenta composuit primus Fulvius Ursinus in sylloge legum et senatus consultorum in lapide vel in aere servatorum, quae prodiit adiecta libro Antonii Augustini de legibus et senatus consultis Romae 1583. 4. Eadem fere exempla quamquam non omnium tabularum repperi in cod. Vaticano n. 6040, qui fuit Latini Latinii, f. 34—37 cum hac praescriptione: 'antiquarum legum fragmenta ex aeneis tabulis Romae descripta'; quae cum exemplo edito Ursiniano ita conspirat. Similia exempla legis iudiciariae vidi praeterea in codice Borghiniano, quem Florentiae tractavi (cf. CIL. VI praef. p. LV), cum hac praescriptione: 'legis Serviliae sive iudiciariae fragmenta Rom. 1575 m. Nov.' neque tamen descripsi. — Qua ratione lacera fragmenta inter se coniungantur, praeclarum Klenzii inventum est libro edito: *Fragmenta legis Serviliae repetundarum ex tabulis aereis primum coniunxit restituit illustravit C. A. C. Klenze.* Berolini 1825. 4; quam reconcinnationem cum supplementis Klenzianis etsi multi deinde repetiverunt, tamen nemo adhuc data opera post Klenzium rem retractavit. Iam singulas partes qui quando ediderint, videamus.

A Ritschl tab. XXV (rep.). XXVI (agr.). — Integram unus servavit Iac. Mazochius epigr. ant. urbis (1521) f. 180, a quo in parte hodie deperdita, id est in repetundarum legis v. A 24—31 ex parte, 32—43 integris, in agrariae legis v. A 28—36 ex parte, 37—50 integris pendent posteriores omnes. Tabulas has Sigonius in librorum de antiquo iure populi Romani ed. Bonon. 1574 fol. (in prioribus enim desunt) posuit repetundarum de iudic. l. 2 c. 27, agrariae de antiquo iure prov. l. 2 c. 2. Ursinus (1583) l. c. n. XI (rep.). IV (agr.). Lipsius auct. p. 11 (rep.) ex Ursino. Grut. 507 (rep.). 203 (agr.) ex Mazochio Sigonio Ursino. Descripserunt partem superstitem Klenzii causa a. 1821 Bluhmius, item Goettlingius (*funfzehn röm. Urkunden* 1845) n. IV; contuli ego Neapoli a. 1846.

B Ritschl tab. XXIII (rep.). XXVIII (agr.). — Constat tribus lammellis, quarum primam et secundam (Ritschl B*ab*) iam Sigonius coniunxit, tertiam (Ritschl BC) adiunxit Klenzius. — Exhibent B*ab* Sigonius (1574) una cum A; Ursinus cod. Vat. 6040 n. 1 (agr. inde a v. 38 verbis ON · SIET ad finem); ed. (1583) n. VIII (rep.). I (agr.); Lipsius p. 10 (rep.). 7 (agr.); Grut. 506 (rep.). 202 (agr.); descripserunt Bluhmius, item Goettlingius l. c. n. I. II; contuli ego Neapoli. — BC exhibet primus Ursinus cod. Vat. 6040 n. 4 (rep.). 5 (agr.); ed. (1583) n. XIII (rep.). VI (agr.); Grut. 510, 3 (rep.). 205, 2 = 510, 1 (agr.) ex Ursino. Descripserunt Bluhmius et Goettlingius l. c. n. III; contuli ego Neapoli.

C Ritschl tab. XXV (rep.). XXVI (agr.). — Genuinum exemplum expresserunt Ursinus cod. Vat. 6040 n. 6 (rep.). 7 (agr.), ed. (1583) n. X (rep.). III (agr.); Grut. 1030, 1 (rep.). 206, 1 (agr.) ex Ursino; Amadutius anecd. litt. 1 (1773), 463 (rep. solam) cui descripsit a. 1762 Ios. Garampius; Primisserus (*kurze Nachricht von dem Raritätenkabinet zu Ambras in Tyrol. Inspruck* 1777. 8) in aes incidit (cf. p. 37); Klenzius cum ipse a. 1821 contulisset, item in aes incidendam curavit. Descripsit Goettlingius l. c. n. VI (rep.). VII (agr.); contuli ego Vindobonae. — Falsum exemplum ed. Mur. 574, 1 (rep., agr.), cui id in museo Barberino descripsit Bimardus, in museo regio Neapolitano contuli ego.

D Ritschl tab. XXIV (rep.). XXVII (agr.). — Constat quattuor lammellis, quarum cum tres (Ritschl *abc*) coniunxisset Ursinus, quartam iisdem adnectendam esse Klenzius demum perspexit. — Proposuit D*abc* coniunctas primus Ursinus (1583) l. c. n. XII (rep.). V (agr.); praeterea D*a* tabellam sistunt cod. Vatic. 6040 n. 3 (rep.). 2 (agr.) et Brissonius de formulis (Paris 1583 fol.) p. 171 (rep.). 172 (agr.), cui descripsit in Italia alicubi Puteanus; D*bc* Pighius annal. vol. 3 (Antverp. 1615) p. 137 (rep., agr. cf. p. 98) ex nescio cuius viri docti apographo. Repetiverunt D*abc* Lips. p. 12 (agr.) ex Ursino, Grut. 508 (rep.) ex Ursino, 205, 1 (agr.) ex Ursino et Brissonio. Goettlingius l. c. n. V ad aera dedit. Item exhibent D*d* primus Ursinus cod. Vat. 6040 n. 8 (rep.). 9 (agr.), ed. (1583) n. IX (rep.). II (agr.), unde repetivit Grut. 510, 2 (rep.). 206, 2 (agr.); Amadutius anecd. litt. 1 (1773), 464 (rep. solam); Primisserus (1777) una cum C in aes incidit similiterque Klenzius ut in aes incideretur curavit. Goettlingius l. c. n. VII (rep.). VI (agr.) ad aes dedit. Descripsit D*abc* Neapoli Bluhmius, denique ego contuli et Neapolitana aera et Vindobonense. — D*d* tabulae recens exemplum Neapoli extare refert Goettlingius p. 30 (cf. p. 35) errore.

E, quae tabula hodie desideratur, ed. primi Ursinus (1583) l. c. n. XIV (rep.). VII (agr.), quocum conspirat cod. Vat. 6040 n. 11 (rep.). 10 (agr.), et Brissonius de formulis (1583) p. 173 (rep.). 174 (agr.), deinde Boissardus antiq. vol. 3 (Francof. 1597) f. 105 (rep.). 104 (agr.). Repetundarum tabulam repetiverunt Lipsius (1588) p. 13 ex Ursino, p. 14 ex Brissonio, Grut. 509 ex Ursino, 511 ex Brissonio; agrariam Lips. p. 15 ex Brissonio, Grut. 512 ex Brissonio et Ursino. Praeterea ex tabula antequam tota ederetur citaverunt Paulus Manutius de legibus (Venet. 1557 f.) f. 27 *a* leges Rubriam et Liviam, quod pertinet ad agrariae legis v. 59 = E 9, v. 77 = E 27, v. 81 = E 31; Turnebus advers. 27, 21 (dedicatio subscripta est id. Quinct. 1564) ex exemplo misso sibi a Petro Daniele repetundarum legis v. 66 = E 22; Cuiacius in libro observationum septimo, qui primum prodiit a. 1564, c. 30 eundem quem Turnebus affert locum, sed minus plenum; Petrus Hamo Caroli IX regis Galliae domesticus et a secretis, qui vidit aes a. 1567, [in schedis adservatis hodie in bibliotheca publica Parisina cod. Francogall. 19116 f. 17 r. 32 r.[1] indeque] Mabillonius de re diplomat. (in praef. ad f. et p. 344. 345 ed. 1681) repetundarum legis v. 47 = E 3, v. 48 = E 4, v. 49 = E 5, v. 69 = E 25, v. 73 = E 29 et agrariae v. 78 = E 28, v. 79 = E 29, quos protulit Mabillonius in tabula incisos; Scaliger in notis ad Festum, quae primum prodierunt a. 1576 cum praefatione data a. d. XI kal. Nov. 1574, repetundarum legis v. 64 = E 20 (ad v. *sed*[2]), v. 65 = E 21 (ad v. *prodidisse*), v. 72 = E 28 (ad v. *satura*), agrariae v. 75 = E 24 (ad v. *Punici*); Elias Vinetus in commentario in Ausonium (grat. act. p. 722 Toll.) scripto a. 1579, ex exemplo misso sibi Lutetia a Francisco Guillioterio, repetundarum legis v. 66 = E 22.

Iam videamus de crisis harum tabularum fundamento primumque de iis quae hodieque supersunt A (excepta parte inferiore) B C D.

1) [Schedas eas accurate descripsit Henricus Omont *bibliothèque de l'école des chartes* vol. 62 (1901) p. 87—73; idem officiose misit paginas illas duas photographice expressas. Locis inde excerptis Hamo praescripsit f. 32: *extraict d'un fragment antique de la loy des Romains trouvé au cabinet des bagues du Roy à Fontainebleau le premier de Mars 1567; lequel fragment semble estre un reste egreigné par le feu, d'une table de bronze escripte des deux costez d'une lettre plus grande par l'un d'iceux que l'autre comme le voyez en cet extraictz. Et laquelle table (par son fragment) semble auoir esté rompue, bruslée et fondue, et n'en rester que ceste piece.* Similia leguntur f. 17.]

2) Verba haec Spangenbergius mon. leg. p. 85 cum apud Scaligerum reperisset neque unde petita essent agnovit et pessime corrupit et retulit ad legem de scribis. Quod huius auctoris impudentissimae neglegentiae unicum documentum recipere visum est; nam de scriptore ita indigno qui legatur monendum magis est quam quiritandum.

In quibus abiectis antiquioribus exemplis in priore editione adhibui solas tabulas Ritschelianas n. XXIII—XXVIII quaeque ego olim Neapoli Vindobonaeque ex ipsis tabulis ita enotavi, ut Klenziano legis repetundarum Rudorffianoque agrariae exemplis adhibitis varias priorum descriptorum lectiones ad aes quantum potui accurate exigerem. [Varia lectio ita relicta iam tota abici potuit, postquam huius alterius editionis causa Huelsenus noster eam Neapoli ad ipsa aera denuo exegit et errata si quae deprehendisset correxit, dubia omnia fere solvit. Similiter recognoverunt amici Vindobonenses aera ibi servata. Ex hac recognitione quae profecta sunt, sola adnotantur addita nota ita esse in aere.] Antiquiora exempla, quamquam et Ursinianum et Bluhmianum diligenter et perite excepta sunt, tamen abici et potuerunt et debuerunt, praesertim cum in tabularum marginibus postquam in Bembinum museum venerunt (excepto fortasse uno loco solo rep. v. 54) nihil amplius effractum esse usu didicerim, ut Sigonius quique deinceps descripserunt plus nobis videre non potuerint. Singulas tabulas separatim typis non repraesentavi, sed in legum restitutarum ordinem suo quamque loco recipere satis habui; quae si cui non sufficiunt, praesto sunt tabulae Ritschelianae affabre pictae, quibus aliquanto melius quam typis aera repraesentantur. — Aliter res se habet in deperditis tabulis, id est tabulae A parte inferiore (eam cum superiore ne Mazochiana quidem aetate cohaesisse hiatus indicat, quem tum iam fuisse in repetundarum v. 28, agrariae v. 35 medio infra probavi); item ea quam signavi E. Illam habemus ab uno Mazochio; nam qui postea ediderunt Sigonius et Ursinus quamquam eam non disertis verbis Mazochio acceptam referunt, tamen eorum exempla ita comparata sunt, ut antiquam lectionem passim corruptam nullo loco emendent, non paucis novas corruptelas superaddant adeoque in repetundarum lege integrum versum *a* 36 omittant. Visum itaque est Mazochianum totius tabulae exemplum, sed per lineolam separata parte superstite a deperdita, cum suis naevis accurate hoc loco imitari, ut et de tabulae figura si qua potest inde coniectura capiatur et exempli indoles lectori sic plenius innotescat quam fieri potest ex subiecta varia lectione.

Tabulae A exemplum Mazochianum.

Decreti fragmentum quod ubi sit ignoratur.

IV
DE QVE EO HOMINE DE
EIVS ESTO·P·R·QVEI EX H·L·
EO MAG·INPERIOQVE ABIERIT QVO MIN
NEI·QVEM·EORVM·DET·SCIENS·D·M·QVOI·EI·IS·Q
VAESTIONEM·IOVDICIOQVE PVBLICO CONDEMNAT
VM·PR·QVEI·EX·H·L·QVAERET·ALIVM·PATRONVM·EIEI·QVEM
VM·A·D·A·SIET·FVERITVE·QVEIVE·IN·SENATV SIET·FVERINT EIE QVEI
ERIT·QVOS·LEGERIT·EOS·PATREM·TRIBVNVM·COGNOMENQVE IOVDICET Q
H·L·CDL·VIROS·LEGERIT·FACITO·RECITENTVR·IN·CONTIONE·IVRATOQVE SE SE
QVE EORVM MAG·COIPERIT FACITO VTEI CDL·VIROS ITA LEGAT QVEI HA
NNOS·LX·GNATVS SIET QVEIVE IN VRBE ROMAE PROPIVSVE VRBEM ROMA
EM TRIBV·COGNOMENQVE TRIBVTIMQVE DISCRIPTOS HABETO EOSQVE PROPOSITOS SVD
DE NOMINE DEFERVNDO IVDICIBVSQVE LEGVNDEIS·QVEI EX·H·L·PEQVNIAM AB A
QIT DE·CDL·VIREIS QVEI IN EVM ANNVM EX·H·L·LECTEI ERVNT ARVORSARIO EDAT EOS OM
NON ATTIGERET SCIENTEM·D·M·ITAQ·IS EDITO COVRATOQ·VRETIS ITA EDIDERIT TUM IN EA
EX SIET QVOI IS QVEIVE QVEI PETET GENER S OCER VITRICVS PRIVIGNVSVE SIET QVEIVE EI
IBERIT QVEIVE TRANS MARE ERIT NEIVE AMPLIVS DE VNA FAMILIA VNNVM NEIVE EVM
IECESITVDINE ATINCAT QVAE SVPRA SCRIPTA SIENT VNDE PETITVM ERIT QVOMI
EN EX·H L·DELATVM ERIT·L·IVDICES EX·H·L·NON LEGERIT EDIDERITVE SEIVE
EM LEGAT QVEI ITA LECTEI ERVNT EIS IN EAM REM IOVDICES SVNTO EORVMQVE EIV
EI PETIVERIT ET VNDE PETITVM ERIT QVEI EORVM VOLET EX TABOLEIS PO
QVEI PEQVNIAM CAPIE T EVM OB EAM REM QVOD PEQVANIM EX·H·L·CEPER
RIT AVT IN EX ILIVM ABIERIT · Q VOIVM NOMEN EX·H·L·DELATVM ERI
N OMEN EX·H·L·AD SE DELAT VM ERIT FACITO VTEI IOVDICIVM P
CONQVAERI IN TERRA ITALIA IN OPP EDEIS FEREIS CONCILIAI
AVDIERIT QVOD EIVS REI QVAERVNDAI C ENSEANT REFERE EIC
VM EIVS FIDE QVAERAT QVEIVE IN FIDE EIVS · SIET MAIORES V
T SECVMVE DVXERIT DVM TAXAT HOMINES·II L·EARVM RE
IVE DE EA RE VOLET APVD PR·IS PRAETOREI MORAM NE FA
M REM IOVDICES ERVNT ANTEQVAM PRIMVM CAVSSA D
LET VTEI TESTIVM QVEI EAM REM ERVNT VERBA AVDIAT
ECITENTVR PROSCRIPTA PROPOSITAQVE PALAM APVD FOR
E IVDICIVM ADESSE POSSIT DE EA RE PRAETORI QVEI EX HAC
RE POTERIT FACITO QVOIVS DEICET NOMEN REFERRE
LET QVOIVS EX·H·L·HOMINIS DELATIO ERIT EI EIVS REI PE
VEI EAM REM QVAERET EX·H·L·CAVSAM NON NOVER
IVDICIVM FIERI OPORTEBIT TER
TE QVAM IBVNT FACIT IVRENT SE SE
ATVRVM ESSE · IVDICE
SATIONE PRIMOQVE
VR

Tabulae E in censum veniunt duo sola exempla Ursinianum et Brissonianum, quorum constat neutrum ex altero pendere. Illud Klenzius praetulit, hoc Rudorffius; equidem quamquam utrumque satis bonum repperi et modo hoc modo illud veram scripturam solum servavisse, praeterea in versibus separandis peccavisse in agraria E 38. 39 Ursinum, in repetundarum lege E 4—14 multo gravius lapsum esse Brissonium, tamen de summa re Rudorffio adsentior, nam Brissonius multo simplicius quae in aere vidit repraesentavit in libro, neque a coniecturis minoribusque supplementis (v. e. c. rep. v. 68, E 24) immune esse exemplum Ursinianum cum codicis Vaticani cum edito comparatio docuit tum ipsa re satis probatur. Contra Boissardi exemplum quamquam aere expressum tamen omnium corruptissimum est et ita comparatum, ut eo facile careamus. Sic enim ei convenit cum Brissonio, ut ubi discedit fere peccet; neque verum inveni, quod formam Boissardianam in tabulae C adhuc superstitis marginem recte Rudorffius (p. 15) dixit quadrare. Quid quod diu incertus haesi, num ex ipso edito Brissonii libro sua hauserit Boissardus; quod tamen redarguunt non tam agr. E 23, ubi pro IVS Brissonii IOVS Urs., IDVS Boissardus dederunt similiaque alia, quam notae numerales rep. E 4, agr. E 28 in Boissardi aere ita exhibitae, ut ex Brissonii libro petitae esse nequeant. Sed utut est, Boissardus non solum neglegentia peccavit, sed etiam fraudis culpam in his quoque tabulis sustinet, cum inlatis in verba legis archaismis quibusdam, quos neque Brissonius neque Ursinus agnoscunt, tum maxime additis in lege repetundarum extrema subditiciis his, quae a genuina parte distinxi forma maiore:

E 37 TRIBVNVS PLEBEI ROGAT / / AT
E 38 *extr.* TIONEI / / ICVT / / R
FACIAT / / \GATQ
ATVM / / SI / /
RO /

Quae commenticia esse vel hoc ostendit, quod E 37 supplementa certissima illud AT nequaquam recipiunt quodque in aversa tabulae parte in lege agraria Boissardus ne litteram quidem plus exhibet quam reliqui omnes. Cui fraudi nulla alia causa videtur subesse praeterquam spatium, quod in antica legis parte versuum triginta et octo, cum postica habeat quadraginta duo, sculptori vacuum remansit. Praeter plena haec exempla adhibui quae inde particulatim citaverunt Turnebus Cuiacius Scaliger Vinetus Hamo, quamquam non magno cum fructu; neque delineationis Hamonianae maiorem quam bonorum exemplorum integrorum fidem esse reperi. Denique tabulam hanc quoniam Brissonius ita typis exhibuit, ut de forma lammellae con-

... MVLTAM · SVPREMA · DELEA ...

... QVE · DIE · DEFERATVR · ISQVE · QVAESTOR ...

... RE · DEIXERIT · PRAETOR · EX · H · L · QVAERET · ITA · PRONON ...

... DICAT · EIS · HS · N · CCCIↃↃↃ · QVOTIENS · QVOMQVE · AMPLIVS · BIS · IN · VNO · IV ...

... REIS · QVOMODO · IVDICETVR · VBI · DVAE · PARTES · IVDICVM · QVEI · ADER ...

... REM · AGITO · TVM · PRAETOR · QVOM · SOVEIS · VIATORIBVS · APPARITORIBVSQVE · NEI ...

... QVE · IVDICIS · IS · PRAETOR · SORTICOLAM · VNAM · BVXEAM · LONGAM · DIGITOS · IIII · LA ...

... EAMQVE · SORTEM · EX · HACE · LEGE · APERTAM · BRACIOQVE · APERTO · LITERAM · DIGITEIS · OPERTAM · PALA ...

... VNDAI · CAVSA · AD · SITELLAM · SORTI · VENIET · IS · IN · EAM · SITELLAM · MANVM · DEMITTITO · TAM · DEVEXAM · POPVLO ...

... DEMNO · VBEI · NIHIL · SCRIPTVM · ERIT · SEINE · SVFRAGIO · EX · QVA · SORTI · PRONONTIARIT · EAM · SORTEM · PROXSVMO · IVD ...

... QVOD · PRAEVARICATIONIS · CAVSA · FACTVM · NON · ERIT · IS · EX · HACE · LEGE · EIVS · REI · APSOLVTVS · ESTO · DE · REO · CONDEMNAN ...

... AVT · APSOLVTVS · ERIT · QVOM · EO · F · L · NISEI · QVOD · POSTEA · FECERIT · AVT · NISEI · QVOD · PRAEVARICATIONIS · CAVSSA · FACTVM · ERIT · AVT ...

... EVM · QVEI · EX · H · L · CONDEMNATVS · ERIT · Q · PRAEDES · FACITO · DET · DE · CONSILI · MAIORIS · PARTIS · SENTENTIA · QVANTI · EIS · CENSVER ...

... SCRIPTVM · TRANSDITO · QVAESTOR · ACCIPITO · ET · IN · TABOLEIS · POPLICEIS · SCRIPTVM · HABETO · DE · LEITIBVS · AESTVMANDEIS ...

... LATVM · AVORSVM · CONCILIATVMVE · ESSE · EA · RES · OMNIS · SIMPLI · CETERAS · RES · OMNIS · QVOS · POST · HANCE · LEGEM · ROGATAM · CO ...

.. PARENTISVE · SVEI·QVOIVE · IPSE · PARENSVE · SVOS · HERES · SIET · LITEM · AESTVMATAM · ESSE · QVEIVE · EIEI · IVDICEI · CONSILIOQVE · EIVS · MAIOREI · PA ..

... HACE · LEGE · IN · AERARIO · POSITA · ERIT · OB · EAM · REM · QVOD · EO · NOMINE · LIS · AESTVMATA · ERIT · IN · TRIDVO · PROXSVMO · QVO · ITA · SATIS ...

... EX · HAC · LEGE · PEQVNIAM · OMNEM · AD · QVAESTOREM · REDIGERE · NON · POTVERIT · TVM · IN · DIEBVS · X · PROXSVMEIS · QVIBVS ...

... AESTVMATAE · ERVNT · QVOIVS · REGIS · POPVLEIVE · NOMINE · LIS · AESTVMATA · ERIT · LEGATEI · ADESSENT · DVM · NEI · LONGIVS · C · DIES · EDAT ...

... FECERIT · EI · PRIMO · QVOQVE · DIE · QVAESTOREM · SOLVERE · IVBETO · QVAESTORQVE · EAM · PEQVNIAM · EIS · SED · FRAVDE · SVA · SOLVITO ...

... PRAETOR · EX · HACE · LEGE · TRIBVENDEI · CAVSA · PRODEIXERIT · IS · VTEI · QVOD · RECTE · FACTUM · ESSE · VOLET · FACITO · QVOMODO · PRODE ...

... VMOS · EX · EA · DIE · QVA · TRIBVTVS · FACTVS · ERIT · APVD · FORVM · PALAM · VBEI · DE · PLANO · RECTE · LEGI · POSSITVR · PROSCRI ...

... AM · HABEBIT · EIS · FACIVNTO · VTEI · QVOD · RECTE · FACTVM · ESSE · VOLET · QVOD · EIVS · IS · REVS · NON · SOLVERIT · AB · EIS · PR ...

... AESTVMAVERIT · EI · VNDE · EA · PEQVNIA · REDACTA · SIET · QVANTVMQVE · IN · EO · FISCO · SIET · QVAESTOR · QVIQVOM ...

... QVOD · SINE · MALO · PEQVLATVM · FIAT · PR · QVI · EX · HACE · LEGE · QVAERET · DAREI · SOLVI · IVS · ERIT · ID · QVAESTOR ...

... OPORTEBIT · QVOM · EX · HACE · LEGE · FIERI · OPORTEBIT · NEI · QVIS · MAGISTRATVS · PROVE · MAGISTRATV · PROVE ...

... DVCITO · NEIVE · ABDVCIER · IVBETO · NEIVE · FACITO · QVO · QVIS · EORVM · MINVS · AD · ID · IVDICIVM · ADESSE · POSS ...

... TRA · QVAM · SEI · QVID · IN · SATVRAM · FERETVR · SEI · IS · PRAETOR · QVI · EX · HACE · LEGE · QVAERET · SEI ...

... QVD · EX · HACE · LEGE · FACTVM · NON · ERIT · FACIANT · FIANTQVE · QVAE · EX · HACE · LEGE · FIERI · OPORTERE · SEI ...

... VRNIVS · L·F·TR · PL · ROGAVIT · EXVE · LEGE · QVAM · M · IVNIVS · D · F · TR · PL · ROGAVIT · QVEI · EORVM · EO ...

... DE · PRAEVARICATIONE · PRAETOR · QVEI · EX · HACE · LEGE · QVAERET · QVA · DE · RE · EI · PRAE ...

... M·QVEI·CEIVIS · ROMANVS · NON · ERIT · EX · HACE · LEGE · ALTEREI · NOMEN ...

... M · EIEI · FILIO · GNATEIS · CEIVEIS · ROMANEI · IVSTEI · SVNT ...

... EQVE · DANDA · SEIQVIS · EORVM · QVEI ...

... VTILITATE · IVDEX · DEINCEPS · FACIAT ...

... L · ET · FACITO · VTEI · EA · OMNIA ...

... TRIBVNVS · PLEBEI · ROGAVIT .

SANCTIO

... NEI ...

iecturam inde nullam capias, Boissardi vero ut in aliis ita in hac maxime re fides plane nulla est, integram exhibui ad exemplum Ursinianum. Quamquam fragmenti huius Ursino nunquam visi formam cave credas ab eo recte repraesentari. Varia lectio, in qua referenda et Klenzius et Rudorffius saepe peccaverunt, adnotationibus reservata est.

Legem repetundarum scriptam esse in tabulae antica eius rei causa laevigata, agrariam in postica parte scabra, item illam versibus aequabiliter diremptis, hanc inaequalibus, accurate factis illam, hanc neglegentibus litteris minoribusque exaratam esse recte Klenzius (praef. p. IX) Rudorffiusque (p. 1) observaverunt; eodemque pertinet, quod capitibus in agraria lege neque index praescribitur neque nisi raro spatium vacuum praeponitur, cum utrumque factum sit in lege repetundarum. Margo superest duobus locis, in summa parte lamminae A, ubi primorum versuum utriusque legis pars servata est, et in lammina C, ubi supersunt legis repetundarum aliquot versuum principia, item ex lege agraria versuum qui respondent partes extremae. Utroque loco in margine visitur foramen, quo clavis parieti affixam tabulam olim prostitisse ostenditur. — Latior quam longior tabula videtur fuisse. Nam in latitudinem olim patuerit paullo plus duo metra Gallica necesse est, cum centenae vicenae litterae sexaginta quattuor circiter centimetra impleant, in singulis autem versibus litterae circiter quadringenae fuerint; in altitudinem autem hodie quod superest centimetra aequat c. octoginta duo neque in fine multi versus videntur periisse toti. — Quomodo fragmenta inter se iungenda sint, in universum, ut supra diximus, Klenzius docuit; neque tamen in eius disputatione plane adquiesci potuit, sed necessarium visum est rem denuo in examen vocare. In qua disputatione, ubi de postica agi non monebitur, de antica accipienda esse quae dicuntur qui leget haec scito, item dextram partem laevamque eam peraeque intellegi, quae est a dextra laevaque intuenti tabulam adiectam, qua totam rem ante oculos ponere visum est. Numeri in ea Romani legum versus indicant, nostrates ad fragmenta extrinsecus positi versus fragmentorum, nostrates intra fragmenta intus positi numerum litterarum in singulis fragmentorum versibus superstitum, adiecta ubi spatium vacuum remansit eius mensura, denique nostrates qui intra parentheses includuntur, litterarum in singulis hiatibus deperditarum numerum significant. Fragmenta B et A ita olim cohaesisse, ut a primis fragmenti A versibus in repetundarum lege ad quintum, in agraria ad sextum oratio procedat et sic deinceps pergat, Klenzius invenit Rudorffiusque confirmavit et est omnino

certum: nam optime sic iunguntur cum reliqua omnia tum maxime quae de iudicibus legendis lex repetundarum v. 12 sq. scribit. De hoc dubitari potest, lammella A utrum a dextra an a laeva lamminae B olim steterit: potest enim simili plane eventu et sic coniunctio ordinari ut in tabula proposita est:

legis repet. v. 4] . . . B 4 . . .
„ „ v. 5] . . . A 1 . . . B 5 . . .
„ „ v. 6] . . . A 2 . . . B 6 . . .

et hoc modo:

legis repet. v. 4] . . . B 4 . . . A 1 . . .
„ „ v. 5] . . . B 5 . . . A 2 . . .
„ „ v. 6] . . . B 6 . . . A 3 . . .

et ita porro. Nam quod Klenzius (prol. p. V) posuit dextrorsum (intuenti scilicet repetundarum legem in antica perscriptam) a lammina B spatium non sufficere ad lamminam A in eum locum a quinto inde totius legis versu recipiendam, effecit ex agrariae exordio, cuius quae in illum locum inciderint litteras plus sexaginta esse potuisse negavit; his spatium illud non satis expleri. At cum ignoremus quot numero tribuni plebis legem agrariam rogarint eamque ob causam litterae multo plures quam sexaginta a dextra lamminae B interire potuerint, hoc argumentum minime sufficit ad rem expediendam. At nihilo minus recte Klenzius tabulam A a dextra B stetisse negavit; cuius dum infra certissimum indicium afferetur, hoc loco sufficiet monuisse tabulam nimis iam latam longe etiam latiorem et paene immanem effici, nisi fragmentum A a laeva B lammellae collocetur. — De parte inferiore similiter Klenzius docuit lamminam C olim cohaesisse cum deperdita E, item inter lammellas E et D medias non intercidisse nisi paucas litteras easque, quae in quibusdam versibus certa ratione recuperentur. — Contra de iunctione superiorum lammellarum AB inferiorumque CED diu anceps Klenzius haesit quamque tandem proposuit coniunctionem versu primo lammellae E, qui est in inferiore parte summus, versui 40 lammellae A praeposito itaque versu totius tabulae 44 composito ex E 1, A 40, B 44, eam arbitrariam esse ipse probe videtur sensisse (cf. Klenzius p. 61 n. 4. 6). Post eum Rudorffius in postica coniunxit B 51, A 46, E 1 Klenzianam restitutionem ita in agrariam legem converti opinatus; quod secus est. Neque enim convenit ita inter anticam et posticam. Exempli causa D 1, quem utrimque accurate sibi respondere par fere litterarum numerus tabulaeque figura indicant, apud Klenzium in v. 52 anticae cadit, apud Rudorffium in v. 62 posticae; at ducta

tabulae mensura non hos sibi respondere apparet versus, sed potius 52 anticae et 61 posticae, 53 anticae et 62 posticae. Quare uno versu alteruter eruditorum illorum a vero aberrarit necesse est. Legum argumentum rem non magis diiudicat; hic enim locus omnino eo modo comparatus est, ut quamvis lacinias ita consutas in eodem fere argumento versari appareat, tamen exilia fragmenta quo modo olim cohaeserint sententiarumque nexus qui fuerit, certa ratione nec Klenzius nec Rudorffius adsecuti sint. Similiter ut in hoc loco etiam in alio non ratione, sed arbitrio restitutio facta est. Nam partis inferioris versum summum (id est E 1 anticae, E 2 posticae, cum E 1 anticae, litterarum numeri ratione habita, non primo, sed secundo posticae versui respondere intellegatur), ut aut Klenzius recte rettulerit ad anticae v. 44 (cui respondet in postica v. 51) aut Rudorffius recte ad posticae v. 52 (cui respondet in antica v. 45), tamen neuter definivit, cur E ante, non post A collocetur. — Quibus ex haesitationibus tandem exemit me observatio tabulae A versus extremos adiuncta huic a dextra tabula E summa continuari; quo posito de tota re decisum est. Iam igitur in antica Klenziana restitutio ita emendabitur, ut E 1 non cum A 40 iungatur, sed cum sequente, unde pro octoginta novem versibus Klenzianis in hac editione nonaginta reperiuntur; contra in postica retinebitur Rudorffiana v. E 1 ad A 46 adiunctio numerusque versuum centum et quinque. Ita et aequabiliter utraque facies constituta erit et in antica sententiae multo aptius reperientur cohaerere, quam cohaerent apud Klenzium. Praeterea in eo et Klenziana restitutio et Rudorffiana corrigentur, quod in media parte non EAB — BAE tabulae, sed AEB — BEA se excipiunt; quod ad lacunarum spatia recte ordinanda aliquantum momenti habet. Denique sic de eo quoque certiores facti sumus, quo loco tabula A olim steterit; nam cum E tabula, quam ad A adiunximus, a sinistro margine proxime abfuerit, iam tabulam A ad alterum marginem reicere amplius non licet.

Versus in lege agraria pressius scriptos esse quam factum est in lege repetundarum supra iam observatum est. Quomodo fere ex utraque parte sibi respondeant, tabella quam infra posui demonstrat excepta ex tabulis Ritschelianis inter se comparatis, maxime ex B D: nam sive quod versus paullulum se incurvant sive quod lithographus in spatiis subinde peccavit, ad A C eaedem mensurae non conveniunt accurate. Nihilominus tabulam hanc quamvis nonnullis dubitationibus obnoxiam omittere noluimus; habet enim talis utriusque partis inter se comparatio ad hiatuum spatia dimetienda supplementaque apte ordinanda non exiguam utilitatem.

rep. 1 —	agr. 1	rep. 32 —	agr. 37	rep. 62 —	agr. 72
	2	33 —	38	63 —	73
2 —	3	34 —	39	64 —	74
3 —	4	35 —	40		75
4 —	5	36 —	41	65 —	76
5 —	6		42	66 —	77
6 —	7	37 —	43	67 —	78
7 —	8	38 —	44	68 —	79
8 —	9	39 —	45	69 —	80
9 —	10	40 —	46	70 —	81
10 —	11		47		82
11 —	12	41 —	48	71 —	83
12 —	13	42 —	49	72 —	84
13 —	14	43 —	50	73 —	85
14 —	15	44 —	51	74 —	86
15 —	16	45 —	52	75 —	87
	17	46 —	53	76 —	88
16 —	18	47 —	54	77 —	89
17 —	19		55		90
18 —	20	48 —	56	78 —	91
19 —	21	49 —	57	79 —	92
20 —	22	50 —	58	80 —	93
	23	51 —	59	81 —	94
21 —	24	52 —	60	82 —	95
22 —	25		61	83 —	96
23 —	26	53 —	62		97
24 —	27	54 —	63	84 —	98
	28	55 —	64	85 —	99
25 —	29	56 —	65	86 —	100
26 —	30	57 —	66	87 —	101
27 —	31	58 —	67	88 —	102
28 —	32		68	89 —	103
29 —	33	59 —	69	90 —	104
30 —	34	60 —	70		105
31 —	35	61 —	71		
	36				

Singulos versus in utraque lege litterarum numero non multum differre dinumerationes in tabula adiecta ostendunt. Quot vero litteras versus dum integri erant olim habuerint, difficile dictu est; nam magnorum hiatuum supplementa, quae quidem ad litterarum numerum usque certa sint, nulla adhuc reperta sunt vereorque ut umquam

reperiantur. Videntur tamen singuli versus litterarum fuisse fere quadringenarum. Quod primum probatur ipso exordio; nam primi versus anticae cum prima pars, quae periit, ut ex supplemento anticae constat, litteras habuerit olim ad minimum 100, extrema, quae item interiit, ut constat ex supplemento posticae, litteris eius magnitudinis, cuius sunt litterae in anticae primo versu, non minus 60 absolvi potuerit, media, quae superest, habeat in antica litteras 75, litterae in eius primo versu ad minimum 235 olim fuerint necesse est eaeque solitis ita maiores, ut harum ternae quinis fere ordinariis respondeant; unde quadringenarum numerus supra positus efficitur. Item in lege repetundarum inter B 12 et A 9 tot litterae deficiunt quot inter A 12 et B 16 desiderantur non satis certae restitutionis, spatii tamen certi, scilicet numero fere 90, tum certa ratione suppletae litterae 62; quare ubi cum A 8 litterarum 41 et B 12 litterarum 130 spatium inter A 8 et B 12 litterarum c. 100 duoque spatia in primis extremisque versibus litterarum, ut diximus, 150 coniunxeris, efficientur litterae 171 superstites, c. 250 deperditae, in summa litterae 420, quod cum rationibus supra positis convenit. Denique in agrariae v. 78 post hiatum ingentem qui supra centum litteras ad minimum hausit, sequuntur in tabula D litterae 88, deinde inter D et E certa ratione supplendae 13, denique in E et C coniunctis litterae 100, ut hoc quoque loco ad litteras supra trecentas calculi perveniant. Similia complura ex tabulis a nobis suppletis a sedulo lectore peti magis placet quam ad fastidium plerorumque hoc loco congeri. — Utile visum est, quot in singulis hiatibus litterae fere perierint explorare. Quae res cum omnino plena sit et taedii et periculi, in lamminis hodie deperditis A inf. et E cum de earum figura non constet, de spatiis intermediis multo magis ambigi potest. Ita exempli causa inter E et D quamquam pauca interciderunt et supplementa quaedam certa sunt, tamen ex his reliquorum hiatuum ambitum non satis colligimus; quam ob rem ne quis miretur, si quando in his supplementa mea recedunt a litterarum deperditarum numero eo, quem tabula indicat. Omnino spatiorum hae coniectationes magis quam computationes totae pendent ex supplementorum, de quibus supra dixi, calculis nequaquam accuratis et his aliter ordinatis simul commutentur necesse est. Praeterea hoc quibus hae res postea curae erunt caveant velim, a quo priores non satis sibi caverunt, in spatiis his dimetiendis semper et anticam et posticam simul considerandas esse et quod in altera verum sit, in alteram transferri et posse et debere. Spatia, quae secundum computationes supra institutas intercedunt inter partes tabulae superstites, quot litteras fere habuisse videantur,

ut in tabula adiecta ita etiam ad marginem textus restituti adnotavi numeris inter parentheses positis. Ad quos numeros qui deinceps aut plane non attendet aut iisdem nimium tribuet, non me, sed suam ipsius incuriosam vel neglegentiam vel credulitatem accusabit. — Capita in lege repetundarum rubricas habent praescriptas praetereaque spatiis et ante et post rubricam vacuis relictis distinguuntur. Contra in lege agraria rubricae nullae sunt capitumque initia in sola prima parte legis solent indicari modo tribus punctis sic:

IVSIT ... AGER

qũod factum est v. 7. 13. 14. 15. 16. 26, modo duobus sic:

OPORTEBIT . . QVEI

quod factum est v. 12. 27. 28, semel v. 4 sic:

EST . QVEI

Post v. 28 eiusmodi capitum distinctiones amplius non reperiuntur videnturque spatio deficiente a scalptore omissa esse. In hac editione ubicumque in lege repetundarum spatium non casu, sed consilio relictum est punctave illa in lege agraria inveniuntur, signum paragraphi § positum est. — Emendate neutra lex scripta est et plus etiam fortasse peccavit anticae quam posticae scalptor; ut sit haec quoque lex documento, quantopere in arte scribendi Graeci homines Romanos superarint. De singulis erroribus dixi in adnotatione.

Iam videamus de lege ea, quae perscripta est in antica. Quam cum facile intellegatur ex genere earum fuisse, quae de pecuniis repetundis quaestionem perpetuam ordinaverint, iuvat primum componere quidquid de legibus his ante Sullam dictatorem latis praeterea traditur, deinde de huius legis aetate disserere.

1. *Calpurnia* lex a. u. c. 605. — Cicero Brut. 27, 106: *Quaestiones perpetuae hoc* (C. Papirio Carbone cos. a. u. c. 634) *adulescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt; L. enim Piso tr. pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio cos.* (u. c. 605) *tulit.* De offic. 2, 21, 75: *Nondum* (a. u. c. 710) *centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset.* Eadem fere redeunt Cic. Verr. 3, 84, 195. 4, 25, 56 et in scholiis Bobiens. ad or. pro Flacco p. 233 Or. Tacitus ann. 15, 20: *magistratuum avaritia Calpurnia scita (peperit).* In huius quoque legis v. 74 (cf. v. 23. 81) lex, *quam L. Calpurnius L. f. tr. pl. rogavit,* ita citatur, ut hanc de eadem re primam latam esse denuo confirmetur. Denique Val. Max. 6, 9, 10: *L. Lentulus consularis* (a. u. c. 598) *lege Caecilia* (immo *Calpurnia,* de quo errore post Sigonium de iud. 2, 27 multi monuerunt) *repetundarum crimine*

oppressus censor cum L. Censorino creatus est (a. u. c. 607). *Quem quidem fortuna inter ornamenta et dedecora alterna vice versavit, consulatu illius damnationem, damnationi censuram subiciendo.* Festus v. *religionis* p. 285 M.: *L. Cornelii Lentuli c[um L. Censorino sequitur censura.] Lentulus iudicio pu[blico repetundarum damnatus] fuerat; plurimi itaque [timebant, ne censor poenas repeteret, sed ille nulli gravis fuit].* Lucilius (obiit c. a. 651) l. XX saturarum (apud Nonium v. *priores* p. 427 Merc.): *Calpurni saevum legem Pisoni' reprendi eduxique animam prioribu' partibu' naris* (sic Lachmann, *animam in prioribus naris* libri). — De auctore legis L. Calpurnio L. f. Pisone Frugi Censorio, qui consul fuit a. u. 621 et item res gestas populi Romani perscripsit, cf. Drumannus 2, 81.

2. *Iunia* lex lata inter a. u. c. 605 et a. 632. — Qua de lege nihil praeterea innotuit nisi quod in hoc aere v. 74 (cf. v. 23. 81) lex, *quam M. Iunius D. f. tr. pl. rogavit,* ita nominatur, ut inter Calpurniam a. 605 eamque, cuius reliquias hodie tenemus, medio tempore lata sit oporteat. — Auctor legis Borghesio (ann. vol. 21 a. 1849 p. 9 = opp. 5, 169) probabiliter creditur M. Iunius Silanus consul a. 645, qui cum primus in familiam Silanorum consulatum intulerit, ad summos honores non videtur pervenisse nisi aetate maturus itaque tribunatu facile fungi potuit c. a. 620.

3. *Acilia* lex lata c. a. u. 631 vel 632. — Cicero in Verr. act. 1, 17, 51 M'. Glabrionem tum a. u. c. 684 praetorem adloquens: *Fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iudicibus usus est.* L. 1, 9, 26 postquam orator exposuit licere sibi reum comperendinare et ita bis accusare, se vero unica actione contentum fore, ita pergit: *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus; antea vel iudicari primo poterat vel 'amplius' pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolvi vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus condemnati sunt nequaquam tam manifestis neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo; respondebis; testibus editis ita mittam in consilium, ut, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment non primo iudicare.* Enarrator quae adnotat p. 144 Or.: *M'. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne comperendinari quidem licet reum;* item p. 165 *Aciliam legem] Acilii Glabrionis patris huiusce praetoris, de quo etiam supra dixit, quae lex neque comperendinationem*

neque ampliationem habet, merae nugae sunt neque aliunde fluxerunt nisi ex ipsis Ciceronis verbis pessime lectis. Quam ob rem cum olim, nondum inepti illius magistelli auctoritate explosa, litigatum sit, utrum Servilia lex ante Aciliam rogata sit an ante Serviliam Acilia, iam hodie nemo dubitat legem de pecuniis repetundis, quae Serviliam a. u. c. 643 proxime praecesserit, Aciliam fuisse. — De rogatore praeter supra relata nihil accepimus, nisi quod Cicero eum *fortissimum* dicit eiusque *vim et acrimoniam ad resistendum hominibus audacissimis* praedicat (Verr. act. 1, 17, 52) homo etiamtum popularis, quodque ei nupsit Mucia P. Scaevolae consulis a. 621 filia (Cic. Verr. l. c. ibique schol. p. 149; Brut. 68, 239); huic enim Scaevolae quae Cicero de moribus eius significat unice conveniunt. Denique quod filium avus educavit (Cic. Brut. l. c.), patrem immatura morte obiisse indicat. Ommino inter M'. Acilium M'. f. C. n. Glabrionem, qui a. 573 aedem Pietatis dedicavit (Liv. 40, 34. Val. Max. 2, 5, 1) et a. 588 aedilis curulis (Terent. Andr. didasc.), a. 600 consul factus est, et M'. Glabrionem praetorem a. 684, consulem a. 687 quinam Acilii intervenerint, non traditur (cf. Borghesi *censori* p. 52 = opp. 4, 33). Legis latae tempus tamen ad huius patrem recte aptabitur. Filius enim cum ad maiores honores non pervenerit nisi aetate provectus, *nam*, Cicero (Brut. 68, 239) inquit, *M'. Glabrionem bene institutum avi Scaevolae diligentia socors ipsius natura neglegensque tardaverat*, aliquanto ante a. 644 natus videtur esse, praesertim cum Mucia mater nasci potuerit c. a. 610 vel antea; quam ob rem pater tribunatum obtinere potuit a. 631 vel 632, quorum altero utro legem latam esse infra demonstrabitur.

111 4. *Servilia* lex lata c. a. u. 643. — Cicero Brut. 62, 224: *C. Servilius Glaucia . . . in praetura consul factus esset, si rationem eius habere licere iudicatum esset; nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis sibi devinxerat.* Pro Rab. Post. 4, 9: *Iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenit. . . . . hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* Pro Scauro apud Ascon. p. 21 Or.: *Reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato* (c. a. u. c. 662) *nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa;* ibique Asconius: *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et* (*et* del.) *adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille*

prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum plebis (a. u. c. 663) *cohortatus sit, ut iudicia commutaret.* Valerius Maximus 8, 1, 8: *C. Cosconium* (praetor videtur intellegi a. 664, v. Appianus b. c. 1, 52: Livius ep. 75; Diodorus p. 539 Wess.) *Servilia lege reum propter plurima et evidentissima facinora sine ulla dubitatione nocentem Valeri Valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen . . . erexit.* Cicero pro Balbo 23, 53: *Quo modo L. Cossinius Tiburs . . . . . damnato T. Caelio, quo modo ex eadem civitate T. Coponius . . . damnato C. Masone civis Romanus est factus? . . . . . 24, 54: Quodsi acerbissima lege Servilia principes viri et gravissimi cives hanc Latinis, id est foederatis, viam ad civitatem populi iussu patere passi sunt, ... cum praesertim genus ipsum accusationis et nomen et eius modi praemium, quod nemo adsequi posset nisi ex senatoris calamitate, neque senatori neque bono cuiquam nimis iucundum esse posset, dubitandum fuit, quin quo in genere iudicum praemia rata essent, in eodem iudicia imperatorum valerent? Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur aut Serviliae legi aut ceteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium civitatis?* Praeterea ad locum Verrinarum supra in lege Acilia relatum enarrator has nugas adscripsit p. 164: *ante legem Glauciam* (sic) *de comperendinatione aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset reus aut 'amplius' pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices 'non liquet', hoc est 'obscura causa est'.* — C. Servilius Glaucia in praetura a. u. c. 654 occisus est; legem de repetundis non praetorem eum rogasse, sed ante in tribunatu consentaneum est, quem tamen quo anno gesserit ignoratur. Nam quod post alios Klenzius (p. XV. XVII) posuit Q. Servilium Caepionem lege iudiciaria quam consul a. u. 648 tulerit, iudicia ab equitibus ad senatum transtulisse, Glauciam deinde ea reddidisse equitibus lege repetundarum lata itaque hanc post a. 648 rogatam esse, id idoneis argumentis carere olim iam demonstravi *(Zeitschrift für Alterthumswiss.* 1843 p. 823). Hoc solum ex locis supra relatis apparet ex lege Servilia repetundarum equites iudicasse eiusque ordinis potentiam in re publica ea lege lata magnopere auctam esse, cuius rei certa documenta sunt Rutilii damnatio et accusatio Scauri; at cum ferretur lex Servilia, iudicia apud senatores fuisse neque tradidit quisquam neque probabile videtur, iudiciorum enim commutatio non per repetundarum legem, sed per iudiciariam fieri debuit. Quare quamquam lex Servilia Caepionis aut perlata non sit aut mox rursus sublata necesse est, tamen ad hanc difficultatem expediendam non recte eo confugitur, ut Glauciam ponamus eam in tribunatu abrogasse. Annus

igitur quo Glaucia tribunus fuerit quamquam ex his non efficitur, cur c. u. c. 643 tribunus fuisse videatur, mox aperiam. Ex Servilia lege non solum ad a. 663, sed ad latam usque Corneliam a. 673 de repetundis iudicatum esse loci supra allati ostendunt; unde magis etiam coarguitur eorum error, qui inter Serviliam Corneliamque Aciliam interponunt.

5. *Cornelia* lex lata a dictatore Sulla a. 673.

6. *Iulia* lex lata a C. Caesare cos. a. 695.

Iam aetatis argumenta in hac quam tenemus repetundarum lege obvia ubi circumspicimus, primarium locum obtinebit IIIvirum agris dandis adsignandis inter magistratus ordinarios commemoratio, propter quam in commentario ad legem Bantinam (C. I. L. I n. 197 p. 45) ostendi et eam et hanc repetundarum inter annos 621 et 635 latas esse. Quocum reliqua indicia optime conveniunt. Nam ut mittamus argumenta, quae tabulam hanc legibus Iulia et Plautia Papiria anteriorem esse evincunt, ipsa tabulae postica, in qua lex agraria anni 643 perscripta est, anticam ante hunc annum exaratam esse non minus simplici quam luculento testatur testimonio, quod viri docti, quibus haec lex Servilia esse visa est, ut effugerent, mira infelicitate adhuc se torserunt. Sed paulo ulterius etiam progredi licet. Nam senatores in hac lege cum iudicare vetentur, lata sit necesse est post legem eam, qua C. Gracchus iudicia a senatu ad equestrem ordinem transtulit a. u. 631 vel 632. Denique quod lex Rubria de colonia Carthaginem deducenda a. 631 lata, abrogata vero statim post caesum Gracchum a. 633 (v. commentarium in legem agr.) huius legis v. 22 ita commemoratur, ut eam tum adhuc valuisse appareat, legem hanc repetundarum ipsis annis quibus C. Gracchus tribunus fuit 631 et 632 adsignat. — Ei denique aetati sermo optime convenit paulo vetustior etiam quam legis agrariae latae a. 643. — Quibus positis ubi redimus ad ea, quae de legibus repetundarum scriptores memoriae tradiderunt, hanc sponte sequitur Serviliam esse non posse sed esse aut legem ignotam inter Iuniam Aciliamque interiectam aut denique ipsam Aciliam; neque quae de legibus Acilia Serviliaque supra relata sunt testimonia refragantur. Nam ante Glauciae legem in iudicio repetundarum comperendinationem non fuisse, sed ampliandi potestatem infinitam, Glauciam vero sublata ampliatione comperendinationem induxisse, praeterea ante eum non iis litem aestimatam esse, ad quos a reo pecunia pervenerit, ita in hanc legem conveniunt, ut ampliatio v. 48 commemoretur, comperendinationis vero nulla ibi usquam mentio fiat, neque magis iudicii illius secutorii vestigium in hac lege extet; nam qui contrarium

sibi persuaserunt, supplementis male factis, non ipsis legis verbis innituntur. Caput de civitate danda, quod ex lege Servilia Cicero affert, in hac lege invenitur non tam idem quam simile; quod enim lex haec omnibus peregrinis proponit, Servilia relinquit solis Latinis (v. ad v. 86). Ceterum his neutram in partem multum tribuendum est; primum quia in tam lacera lege quid non fuerit difficile hodie dicitur, deinde quoniam, ut maxime constet capita a Glaucia primum addita a lege hac abesse, nihil inde sequitur nisi Serviliam eam non esse, de quo praeterea satis constat; Acilia num fuerit an antiquioris nescio cuius tribuni, inde non discimus, cum ea capita non ab Acilia sola abfuisse necesse sit, sed item ab omnibus repetundarum legibus ante Aciliam latis. Quid vero fuerit in lege Acilia, hodie plane ignoratur, nec recte Rudorffius *(Rechtsgesch.* 1, 78*)* propterea, quod haec lex popularis sit et in senatorium ordinem satis severa, Acilia autem Servilia mollior dicatur fuisse, hanc esse posse Aciliam negavit. nam atrocissima lege Servilia molliorem legem quid impedit perquam duram fuisse? Denique non sine causa Cicero homo etiamtum popularis (in Verr. act. 1, 17, 52) excitavit *Glabrionis patris vim et acrimoniam ad resistendum hominibus audacissimis.* Totam autem rem ita fere ordinandam esse apparet. C. Gracchus tr. pl. postquam vel in primo tribunatu a. 631 vel in secundo a. 632 (de anno enim non satis constat) iudicia a senatoribus ad equestrem ordinem transtulit, quam legem credo pervenisse et ad repetundarum ceterasque si quae tum fuerunt quaestiones perpetuas et ad quaestiones extraordinarias deinceps ordinandas (Cic. Brut. 34, 128 coll. Sallust. Iug. 40. 65) et ad iudicia denique privata, necessarium visum est quaestionem repetundarum denuo ordinare. Nam iudicia ea, quae praesertim C. Gracchus exprobrarat senatoribus quaeque ne optimates legem iudiciariam repellere possent, effecerant, L. Cottae, quem P. Africanus, M'. Aquillii, quem P. Lentulus princeps senatus frustra accusarant, in ipsis sociorum querelis vertebantur (cf. Cic. divin. 21, 69 App. b. c. 1, 22). Nec fieri potuit, quin lata lege Sempronia iudiciaria repetundarum quaestio universa retractaretur novaque et prioribus severior de ea lex perferretur, ut similiter postea Sulla de utraque re legem tulit. Lata igitur haec lex esse videtur vivo adhuc Gracchо a M'. Acilio tr. plebis a. 631 vel 632. Cuius tribunatus tenue neque tamen plane spernendum indicium superest in lege Rubria Acilia, cuius senatus consultum de Astypalaeensibus (C. I. Gr. 2485 v. 12) a. u. c. 649 factum meminit, incerti quidem argumenti neque aetatis certa praeterea ratione definiendae, sed quam probabiliter attribuas ipsi illi Rubrio, qui cum

C. Graccho tribunus plebis fuit, indeque efficias eo ipso anno Acilium quoque quendam tribunatum gessisse. Iam cum Acilium eum, qui hanc legem rogavit, paullo post tribunatum gestum diem obiisse videri supra docuerimus, periit fortasse cum aliis C. Gracchi amicis in turbis Opimianis. Abrogatam legem hanc esse lata lege Servilia a. 643 vel paullo ante inde colligo, quod cum in postica lex agraria prostitit, antica ad parietem conversa latuit; eodem autem fere tempore et legem hanc repetundarum abrogatam esse et tabulam, in qua palam proscripta legebatur, refixam consentaneum est. Eaque causa est, cur legem Serviliam repetundarum c. a. 643 latam esse supra posuerim. — Verbo denique monebo priorum opiniones de huius legis aetate non satis pensatas refutatione hodie non indigere. Circumfertur quidem ea ad hanc usque diem sub falso nomine Serviliae repetundarum, quam opinionem a Carolo Sigonio profectam, ab Antonio Augustino viro supra aetatem suam harum rerum perito Ursinoque recte spretam, denuo cum alii tum ipse Klenzius caece magis arripuerunt quam examine instituto conprobaverunt. Equidem ex quo ad haec studia me contuli statim eam improbavi et a. iam 1843 (v. *Ztschr. für Alterthumswiss.* 1843 p. 824 n. 26) legem hanc aetatis Gracchanae esse breviter significavi. Postea C. Tim. Zumptius editis commentationibus tribus 'de legibus iudiciisque repetundarum' (*phil.-hist. Abh. der Akademie zu Berlin* 1845 p. 1—70. 475—515), usus maxime eo argumento, quod ex ampliatione admissa, comperendinatione exclusa desumitur, legem in aheneis his tabulis servatam Serviliam esse sano iudicio negavit, contra ad Aciliam anno, ut ex latoris aetate conicit, c. 634 latam fragmenta rettulit (l. c. p. 20—25); quam opinionem inde ab eo tempore peritiores fere secuti sunt.

[Inscriptionum Latinarum prodromum, quo continentur fere antiquiores, edens (a. 1863) in enarranda cum hac lege, quae ibi edita est sub n. 198 p. 49—72, tum agraria a solita et ei syllogae in universum unice apta brevitate aliquantum recessi; neque id factum est sine causa. Nam in monumentis, quae verborum ordinem plus minus continuum exhibent, perpetuo commentario opus esse non solet; quae enim ibi difficilia et obscura inveniuntur, plerumque pauca sunt prae iis, quae facile intellecta sunt et sine explanatione plana. At in his laciniis, maximi iis quidem momenti cum ad linguam antiquam pernoscendam tum ad rei iudiciariae et agrariae plenam accuratamque notitiam percipiendam, tamen nulla sententia superest integra, sed fracta omnia sunt et quasi quodam turbine divulsa, ut sine enarratione, id est sine supplementis nihil fere adsequare neque

quantumvis doctus nisi examinata re et perpensa singula recte intellegat. Id movit me, ut quae ad has leges vel ab aliis recte disputata reperissem vel per annos viginti (tot enim effluxerunt, ex quo in eas data opera inquirere coepi) ipse adnotassem, illius libri causa digererem et ordine exponerem. Iam post editum de lege hac commentarium Rudorffii (in actis maioribus academiae Berolinensis a. 1862 p. 441—553) elapsis rursus annis triginta, per quos saepe ad legem hanc redire debui, maxime in curandis Brunsii fontibus iuris Romani post eius obitum ad me hereditate quadam delatis, commentarios hos denuo castigatos opusculis meis inserui.] In iis contexendis hoc consilium secutus, ut quae accepimus ita fracta, ut ex residuis de parte deperdita aliquam coniecturam capere liceat, ea quantum fieri potest redintegrarem, abstinerem autem ab eorum consuetudine, qui plane incertas et cuivis argumento facillime accommodandas reliquias supplementis obscurant magis quam inlustrant eaque in legem inferunt, quae ut vera sint, tamen in ea ita scripta fuisse nullo ex reliquiis petito argumento demonstrare possint. Similiter raro in eo elaboravi, ut verba ipsa recuperarem — hoc enim quam sit plerumque vanum, vere prudentes non ignorant —, sed hoc secutus sum, ne speciosa supplementorum et plenitudine et sollemnitate lectorem minus peritum quodammodo fallerem, sententiarum tamen ordinem qui fuerit breviore quam commentariis adscriptis fieri potuit ratione significarem. In supplementis quae a prioribus accepi, maxime Klenzio Rudorffio Huschkio, quid cui debeatur, in gravioribus tantummodo monui; nam in hoc genere minimum quodque inventum ad suum auctorem revocare et infinitum est neque satis conciliatur cum horum studiorum gravitate virorumque illorum ipsorum non talibus minutiis indiga auctoritate. Denique quantum fieri potuit cavi, ne legis repetundarum enarratio transiret in commentarium de forma quaestionum perpetuarum; quod quam proclive fuerit, doctiores sentient. Eamque ipsam ob causam de toto legis argumento praefari non placet, nisi quod commodum erit capita legis quomodo se excipiant hoc loco proposuisse coniuncta. Cursivis litteris rubricas suppletas distinxi.

v. 1. *Praescriptio.*
v. 1-8. *Quam pequniam a quo quis apud quem ex hace lege repetat.*
v. 8. 9. De heisce dum magistratum aut inperium habebunt ioudicium non fiet.
v. 9-11. *De patrono dando.*
v. 11. 12. De patrono repudiando.
v. 12-14. *De CDL vireis in hunc annum* legundis.

v. 14. 15. Quos (praetor) legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet.
v. 15-17. De CDL vireis quot annis *legundis.*
v. 17-19. Quos (praetor) legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet.
v. 19-26. De nomine deferundo iudicibusque legundeis.
v. 26. 27. *Iudicum patronorumque nomina* utei scripta in taboleis habeantur.
v. 27. Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient.
v. 27. 28. *De incerto aliquo praemio.*
v. 28. ..... scripta sient.
v. 29. *De iudicio in eum quei mortuos* erit aut in exilium abierit.
v. 30-33. *De inquisitione facienda.*
v. 33. De inro*ganda multa.*
v. 34. 35. *De testibus tabulisque custodiendis.*
v. 35. Praetor utei interroget.
v. 36-38. *Iudices utei iourent ante quam considant.*
v. 38. Ioudex nei quis disputet.
v. 39. *De ..... excusando.*
v. 40. 41. *De iudicio proferendo vel refer*endo.
v. 42. 43. *De multa iudici, qui ad iudicium non aderit neque excusabitur, inroganda?*
v. 44. *Iudices utei iourent ante quam in consilium eant.*
v. 45. 46. Iudices multam supremam debe*ant.*
v. 47. 48. *Iudices in c*onsilium quomodo eant.
v. 49-52. *De* reis quo modo iudicetur.
v. 53. 54. *Sententiae quo modo pronontientur.*
v. 54. De n*umerandis sententiis.*
v. 55. *De* reo ap*solvendo.*
v. 56. De reo condemnan*do.*
v. 57. 58. *De praedibus dandis bonisve vendundis.*
v. 58. 59. De leitibus aestumandeis.
v. 60. 61. *De pequnia ex aerario solvenda.*
v. 62. 63. *De tributo indicendo.*
v. 63. 64. *De trib*uto servando.
v. 64. *Reliquom* in aerario siet.
v. 65. *De tributo proscribendo.*
v. 66. *Pequnia* post quinquenium populei fiet.
v. 66. 67. *De pequnia a praedibus exigenda.*
v. 67. 68. Pequnia in fiscis opsignetur.
v. 68. 69. *Quaestor utei solvat.*

v. 69. Quaestor moram nei facito.
v. 69-72. *Iudicium nei quis impediat.*

v. 72. 73. *Iudex deinceps faciat pr . . . .*
v. 73-75. *De rebus ante iudicatis factisve.*
v. 75. De praevaricatione.
v. 76-78. De ceivitate danda.
v. 78. 79. De provocatione . . . . . eque danda.

v. 79. 80. Iudex deinceps faciat pr . . . . .
v. 80-82. *De rebus ante iudicatis factisve.*
v. 82. *De praevaricatione.*
v. 83-85. *De ceivitate danda.*
v. 85-87. *De provocatione . . . . . eque danda.*
v. 87. 88. *De praemiis accusatoris civis Romani.*
v. 88-90. *Argumenti incerti, fortasse de provocatione.*

I [*M'. Acilius? . . .*] | . . . . . *tr(ibuni) pl(ebei) plebem ioure rogaverunt plebesque ioure scivit in . . . a(nte) d(iem) . . . .*
Tribus . . principium fuit, pro tribu . . preimus scivit . . . . (120)
Quoi socium no]minisve Latini exterarumve nationum, b 1
quoive in arbitratu dicione potestate amicitiav[*e populi Ro-*
II *mani. . . . . ab eo quei dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor), ma-*
g(ister) eq(uitum), cens(or), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei), q(uae- (245)
stor), IIIvir cap(italis), IIIvir a(greis) d(andeis) a(dsignandeis),
tribunus mi]l(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum b 2
fuerit, queive filius eorum quoius erit, [*queive ipse vel*] quoius
pater senator siet, in annos singolos pequniae quod siet am-
III p[*lius Hs . . . n(ummum) . . . . . pro inperio prove potestate* (270)
ipsei regive populove ipsius, parentive ipsius, queive in potestate
manu mancipio suo parentisve sui siet fuerit quo]ive ipse b 3
parensve suos filiusve suos heres siet, ablatum captum co-
actum conciliatum aversumve siet: de ea re eius petitio
nominisque delatio esto, [*pr(aetoris) quaestio esto, ioudicium*
IV *ioudicatio leitisque aestumatio, queiquomque ioudicium ex h. l.*
erunt, eorum h. l. esto . . Sei quis deicet praetorem nomen ex (301)
h. l. ita non recepisse utei delatum esset, neque ioudicium
ex h. l. ita datu]m esse utei peteret: de ea re eius petitio b 4
nominisque delatio esto, pr(aetoris) quaestio esto, ioudicium
ioudicatio leitisque aestumatio, quei quomque ioudic[*ium ex* (164)
V *h. l. erunt, eorum hace lege esto . . . .*]s iu[. . . . . *De quo* a 1
ex h. l. ioudicatum erit, sei contra h. l. fecisse deicetur, post- (140)
quam ea res ioud]icata erit, aut quoius nomen praevaricationis b 5
caussa delatum erit, aut quoium nomen ex h. l. ex reis
exemptum erit: seiquis eius nomen a[*d praetorem denuo deto-*
lerit, . . . quaestio eius pr(actoris) esto; ioudicium ioudicatio (162)

II = *b* 2 QVOIVS aes; [QVEIVE] QVOIVS[VE] coniecit Klenze, QVOIVS[VE] Zumptius (*Criminalrecht* II, 1, 135 seq.): enumeratos esse videri senatores qui essent fuissentve, deinde magistratum non senatorium qui obtinuissent, denique senatorum filios. Sed cum constet quaedam excidisse, omnino in summa re verum vidit Klenzius, quamquam fortasse praestabit, ut hiatus duplex evitetur, restitutio haec: *(queive ipse vel) quoius pater senator siet.* Lex enim de repetundis nequaquam directa est contra senatores, sed contra magistratus, estque ex eo genere, de quo, ut ait Cicero pro Rabirio ad iud. 6, 14, Glaucia dixit primum versum attendendum esse, si esset 'dictator consul praetor magister equitum' nihil pertinere ad privatos.

III = *b* 3 IPSE · PARENTE SVOS aes; emendavit Klenze.

V = *a* 1 s (vel o) IV aes; potest fuisse *[eiu]s iu[dic]* vel *qu]oiu[s.*
= *b* 5 ¦CATA aes; ¦.CATA, quod mihi videre visus sum, non agnovit Huelsen.

VI *leitisque aestumatio quei quomque ioudicium ex h. l. erunt,*
eorum h. l. esto. Sei quis ali]eno nomin[*e . . . . . ex h. l.* a 2
petere nomenve deferre volet, de ea re eius petitio nominisque (134)
delatio esto,] quaestio eius pr(aetoris) esto, ioudicium ioudi- b 6
catio litisque aestumatio, quei quomque ioudicium ex h. l.
erunt, eorum h. l. esto. Is eum unde petet in ious ed[*ucito*
ad pr(aetorem), quoius ex h. l. in eum annum quaestio erit, (161)
VII *et ante k. Sept. quae eo anno erunt, nomen deferto*] . . . deque a 3
eo homine de [. . . . . *ita uti i. s. est res agitor. Post*
k. Sept. sei quod nomen deferetur, sei is quei petet volet, is (127)
praetor de ea re recuperatores dato. Qu]oius eorum ita no- b 7
men ex h. l. post k. *Se*pt., quae eo anno fuerint, delatum
erit, quei eorum eo ioudicio condemnatus erit, quanti eius
rei slis ae[*stumata erit, tantam pequniam quei eum condem-* (156)
VIII *naverit dato . . . . eaque pequnia quei petiveri*]t eius esto. a 4
Pr(aetor), quei ex h. l. q[*uaeret, facito, quidquid ita . . . . ioudi-* (124)
catu]m erit, id utei privato solvatur, quei [*eoru*]m petet. ∾ b 8

De heisce, dum mag(istratum) aut inperium
habebunt, ioudicium non fiet. ∾ Dic(tator), cos., pr.,
mag. eq., [*cens., aid., tr. pl., q., IIIvir cap., IIIvir a. d. a.,*
tr. mil. leg. IIII primis aliqua earum, dum mag(istratum) aut (154)
IX *inperium habebit, nei in ious educitor . . . . Quei eorum e*[x a 5
eo mag(istratu) inperiove abierit, quo min[*us in ious educatur,*
e(ius h. l. n(ihilum) r(ogato) . . . . ∾ (121)

De patroneis dandeis. ∾ *Quei ex h.*] l. pequniam b 9
petet nomenque detuler*it*, quoius eorum ex h. l. ante k. Sept.
petitio erit, sei eis volet sibei patronos in eam rem darei,
X pr(aetor), ad quem [*nomen detulerit . . . . patronos civeis Ro-* (149)
manos ingenuos ei dato, dum] nei quem eorum det sciens a 6
d(olo) m(alo), quoiei is, q[*uoius nomen delatum erit, ... gener*
socer vitricus privignusve siet, queive eiei sobrinus siet pro]- (120)
piusve eum ea cognatione at*t*igat, queive *ei*ei sodalis siet, b 10

VI = *a* 2 /ENO, non ANO aes.
= *b* 6 IOVDICIVMVE IOVDICATIO aes.
VII = *a* 3 fin. utrum sit DE an DI, non liquet.
= *b* 7 itemque in sequentibus *b* 8—11. 18—21 quae damus minusculis inter utrumque huius lamminae fragmentum amissa, Sigonius Ursinusque dederunt tamquam lecta in aere, sed omnino ex coniectura.
ERIT post DELATVM in aere suppletum est inter versus.
VIII = *a* 4 in. /I (non /) · EIVS aes.
= *b* 8 EQ · ⁞, non EQ⁞ Cf. MAG · EQ · tab. Bant. v. 15.
X = *b* 10 ATIIGAT QVEIVE\ (aut QVEIV\) aes.

queive in eodem conlegio siet, quoiave in fide is erit maio-
XI resve in maiorum fide fuerint, [*queive in fide eius erit, maio-* (141)
resve in maiorum fide fuerint . . . . queive] quaestione ioudicio- a 7
que puplico condemnatu[*s siet, quod circa eum in senatum* (118)
legei non liceat, ... neive eum que]i ex h. l. ioudex in eam b 11
rem erit, neive eum quei ex h. l. patronus datus erit. ∾

De patrono repudiando. ∾ Quei ex h. l. patronus datus erit, sei is mori[*bus suspectus erit, is quoi ex h. l. datus*
XII *erit eum reicito . . . . Tum quos ex h. l. patronos dare licet,* (140)
cor]um pr(aetor), quei ex h. l. quaeret, alium patronum eiei a 8
quei s[*ibei darei petet dato . . . .* ∾ (106)

De CDLvireis in hunc an]num legundis. ∾ b 12
Pr(aetor), quei inter peregrinos ious deicet, is in diebus X proxum(eis), quibus h. l. populus plebesve iouserit, facito utei CDLviros legat, quei in hac civit[*ate equom publicum*
XIII *habebit habuerit . . . . dum nei quem eorum legat, quei tr. pl.,* (137)
q., IIIvir cap., tr. mil. l. IIII primis aliqua earum, IIIvi]rum a 9
a. d. a. siet fueritve, queive in senatu siet fuer*itve*, queiv[*e mercede conductus depugnavit depugnaverit . . . . queive quae-* (104)
stione ioudicioque puplico conde]mnatus siet quod circa eum b 13
in senatum legei non liceat, queive minor anneis XXX maiorve annos LX gnatus siet, queive in urbem Romam propiusve u[*rbem Romam p(assus) M domicilium non habeat, queive eius*
mag(istratus), quei s(upra) s(criptus) e(st), pater frater filiusve (135)
XIV *siet, queive eius, quei in senatu siet fueritve, pater frater filiusve siet, queive trans mar*]e erit. ∾ a 10

Quos legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet. ∾ Q[*uei ex h. l. in hunc annum quaeret, ... is die* (100)
. . ex quo legerit, eorum, quei ex] h. l. CDLvireis in eum b 14
annum lectei erunt, ea nomina omnia in tabula, in albo

X = *b* 10 FVERIT aes.

XI = *a* 7 QVAESTIONEM · IOVDICIOOVE aes.

= *b* 11 in. Λ · EX aes. — fin. MORI} aes.

XII = *a* 8 in. }RVM vel }CVM, non }LVM aes. — fin. QVEI\M vel QVEIS (extrema littera M vel S) aes.

= *b* 12 in. }IVM aes. — LECAT aes.

XIII = *a* 9 in. }VM aes. — fin. SIET · FVERINT · EIE · QVEI aes; emendavit Klenze: propter spatii vacui figuram post QVEI videtur fuisse V.

XIV = *a* 10 TRIBVNVM aes; infra v. 17 recte est TRIBVM. — IOVDICET hic et infra v. 17 IOVDICES ferri nullo modo potest; reposui INDICET, quod, si in exemplo fuit IINDICET, facile ita corrumpi potuit. Similiter in agraria v. 90 IOVDICIO et INDICIO permutata sunt.

atramento scriptos, patrem tribum cognomenque tributimque discriptos hab[*eto, eosque propositos suo magistratu servato. Sei quis describere volet, is pr(aetor) permittito potestatemque* (133)
XV *scribendi, quei volet, facito. Pr(aetor), quei legerit, quos e*]x a 11
h. l. CDLviros legerit, facito recitentur in contione iuratoque sese [*eos ex h. l. legise, de quibus sibei consultum siet . . . .* (100)
optumos eos ioudices futuros esse quosque oetiles io]udices b 15
exaestumaverit esse; eosque CDLviros, quos ex h. l. legerit, is p(raetor) omnis in taboleis puplicis scriptos in perpetuo habeto. ∾

De CDLvireis quot annis [*legundis.* ∾ *Praetor*
XVI *quei post h. l. rogatam ex h. l. ioudex factus erit . . . . is in* (129)
diebus X proxumeis, quibus quis]que eorum eum mag(istra- a 12
tum) coiperit, facito utei CDLviros ita legat, quei ha[*ce civi-* (90)
tate equom publicum habebit habuerit . . . . d]um ne quem b 16
eorum legat, quei tr. pl., q., IIIvir cap., tr. mil. l. IIII primis aliqua earum, triumvir a. d. a. siet fueritve, queive in senatu siet fueritve, queive merc[*ede conductus depugnavit depugnaverit . . . . . queive quaestione ioudicioque puplico condemnatus* (129)
XVII *siet quod circa eum in senatum legei non liceat, queive minor*
anneis XXX maiorve a]nnos LX gnatus siet, queive in urbe a 13
Romae propiusve urbem Roma[*m p(assus) M domicilium non habeat queive eius mag(istratus), quei s(upra) s(criptus) e(st),* (90)
pater frater filiusve siet,] queive eius quei in senatu siet b 17
fueritve pater frater filiusve siet, queive trans mare erit. ∾

Quos legerit, eos patrem tribum cognomenque
indicet. ∾ Quei ex h. l. in eu[*m annum quaeret, is die . . ex quo*
legerit, quei ex h. l. CDLvireis in eum annum lectei erunt, in (129)
XVIII *tabula, in albo atramento scriptos, patr*]em tribu[*m*] cogno- a 14
menque tributimque discriptos habeto, eosque propositos suo ma[*gistratu servato . . . . Sei quis describere volet, is pr(aetor)* (85)
permittito, potestatem]que scribundi, quei volet, facito. Pr(ae- b 18
tor) quei legerit, is eos, quos ex h. l. C[*DLv*]iros legeri*t*.

XIV = *b* 14 SCRIPTES aes. — COGNOMEN aes. — DESCRIPTOS aes. at infra v. 18 est DISCRIPTOS conferendaque praeterea lex agraria v. 70.

XV = *a* 11 in. X·H·L aes.

= *b* 15 OMNIS, non OMNLS aes.

XVII = *b* 17 SIE⌈T⌉ QVEIVE TRANS aes. — IOVDICES aes pro INDICET, vide supra ad v. 14.

XVIII = *a* 14 TRIBV aes. — extr. SVOM⌊ \(extrema littera dubia) aes.

= *b* 18 ⌈QVE aes; ⌈MQVE antiqui. — \ROS aes. — LEGERINT aes. — EOS delendum.

facito in contione recite*n*tur, iouratoque sese eos ex h. l. legise, de quibus sibei consu[*ltum siet optumos eos ioudices futuros esse, quosque octiles ioudices exaestumaverit esse; eos-* (130)
que CDLviros, quos ex h. l. legerit, is pr(aetor) omnis in
XIX *taboleis pupliceis scriptos in perpetuo habeto.)* ∾

De nomine deferundo iudicibusque legundeis. ∾ a 15
Quei ex h. l. pequniam ab a[*rvorsario petet, ... is eum,* (82)
unde petet, postquam CDLvirei ex h. l. in e]um annum lectei b 19
erunt, ad iudicem, in eum annum quei ex h. l. [*factus*] erit, in ious educito nomenque eius deferto. Sei deiuraverit calumniae causa non po[*stulare, is praetor nomen recipito facito-*
XX *que. . . . . utei die . . ex eo die, quo quoiusque quisque nomen* (130)
detolerit, is quoius nomen delatum e]rit de CDLvireis, quei a 16
in eum annum ex h. l. lectei erunt, arvorsario edat eos om[*nes, ... quoi is queive ei, quoius nomen delatum erit,* (82)
gener socer vitricus pri]vignusve siet, queive ei sobrinus siet b 20
propiusve eum ea cognat[*ione*] attingat, queive ei sodalis siet, queive in eodem conlegio siet; facitoque coram arv[*orsario is quei ita ediderit iouret: in CDLvireis, quei in eum*
XXI *annum ex h. l. lectei sient, non reliquisse se nisei quei se* (132)
earum aliqua necesitudine quae supra scripta sient] non atti- a 17
geret, scientem d(olo) m(alo): itaque is edito *i*ouratoque. Ubei is ita ediderit, tum in ea[*m quaestionem quei quoiusque ita nomen detolerit, is praetor, quoius ex h. l. quaestio* (76)
e]rit, facito utei is die vicensumo ex eo die, quo quoius- b 21
que quisque n[*omen*] detolerit, C viros ex eis, quei ex h. l. CDLvire[*i*] in eum annum lectei erunt, quei vivat, legat (137)
XXII e[*datque . . . . dum nei quis ioud*]ex siet, quoi is queive ei, a 18
quei petet, gener socer vitricus privignusve siet, queive ei sobrinus [*siet propiusve eum ea cognatione attingat, ... queive* (73)
in eodem conlegio siet, queive e]i sodalis siet, queive tr. pl., b 22
q., IIIvir cap., IIIvir a. d. a., tribun*us* mil. l. IIII prim[*is*

XVIII = *b* 18 CONCTIONE littera quarta expuncta aes. — RECITETVR aes.
XIX = *b* 19 ⟨RIT aes.
XX = *a* 16 LECTEI aes.
= *b* 20 EA · COGNAT[ione]M ATTINGAT aes et ita Ursinus.
XXI = *a* 17 COVRATO aes et scriptura perversa (debuit esse COIRATO vel COERATO) et sententia; emendavi IOVRATO (cf. v. 24 *ediderit iuraritque*).
= *b* 21 VIRE · IN · EVM aes. — fin. LEGAT · V (extrema littera potest fuisse E P B).
XXII = *a* 18 QVEIVE · EIQVEI (additum EIQ) aes. — fin. SOBRINVS (extrema littera dubia) aes.
= *b* 22 ⟨I · SODALIS aes. — TRIBVNI aes compendio a scalptore imperite soluto — PRIMIS ⟨⟨VARVM aes: PRIMIS . . . . . RVM Sig., PRIMIS AL . . . EARVM Urs.: fuit *primis [aliqu]ae earum.*

aliqu]*a* earum siet fueritve, queive in senatu siet fueritve,
queive l(ege) Rubr[*ia IIIvir col(oniae) ded(ucendae) creatus siet* (135)
XXIII *fueritve . . . . queive ab urbe Roma plus . . . passuum*] aberit, a 19
queive trans mare erit; neive amplius de una fami[*l*]ia unum,
neive eum [*legat edatve, quei pecuniae captae condemnatus* (67)
est erit aut quod cum eo lege Calpu]rnia aut lege Iunia b 23
sacramento actum siet, aut quod h. l. nomen [*delatum sie*]t.
Quos is Cviros ex h. l. ediderit, de eis ita facito iouret palam
apud se coram [*arvorsario nullum se edidise scientem d(olo)*
m(alo), quem ob earum causarum aliquam, quae supra scripta (136)
XXIV *sient . . inter Cviros edere non liceat, queive se earum aliqua*] ne- a 20
cesitudine atingat, quae supra scripta sient. Q. unde peti- (66)
tum erit, quomi[*nus . . . . Sei is quei petet, ita C*]viros b 24
ediderit iuraritque, tum eis pr(aetor) facito, utei is unde
petetur die L[*X postquam*] eius nomen delatum erit, quos
C is quei petet ex h. l. ediderit, de eis iudices qu[*os volet L* (138)
XXV *legat . . . Quei ex h. l. nomen detolerit, sei is quoius nom*]en a 21
ex h. l. delatum erit, L iudices ex h. l. non legerit ediderive
seive [*ex CDLvireis, quei in eum annum ex h. l. lectei erunt,* (66)
quei se adfinitate cognation]e sodalitate atingat, queive in b 25
eodem conlegio siet, ex h. l. non e[*diderit, tum ei pe*]r eum
pr(aetorem) advorsariumve mor*a* non er[*it quo*]minus legat
XXVI edatv[*e quos volet L de eis C, quos ex h. l. ediderit . . . . dum*
nei eorum, quos ex h. l. legere non licet, quem sciens d(olo) (142)
m(alo) ioudic]em legat. Quei ita lectei erunt, eis in eam a 22
rem ioudices sunto eorumque eiu[*s rei ex h. l. ioudicatio*
slitisque aestumatio esto. ∾ (66)
Iudicum patronorumque nomina] utei scripta b 26
in taboleis habeantur. ∾ Pr(aetor), quei ex h. l. quae-
ret, fac[*ito eos L viros, qu*]os is quei petet et unde petetur

---

XXII = *b* 22 FVERITVE · QVEIVE · QVEIVE · IN aes: ante L · RVBR spatium novem fere litterarum capax vacuum remansisse propter aeris vitium indicant etiam versus hac parte curvi et male deflectentes itemque spatia similia v. 74 ante HACE, v. 78 ante PRAETOR relicta.

XXIII = *a* 19 FAMIIIA aes.

= *b* 23 NOMEN · DE . . . Urs. — extr. CORAM aes.

XXIV = *a* 20 Q ·] praestat fateri me non intellegere, *quaestor* quo pertineat quam repetere coniecturam IS.

= *b* 24 DIE · D aes. — fin. IVDICES · QV aes.

XXV = *b* 25 in. P · EVM aes. — MORM aes. — ERI // MINVS · LEGAT · EDATV aes: ERIT · QVO · MINVS Sig.; ERIT · QVO · MINVS · LEGAT · EDATVE Urs.

XXVI = *b* 26 in. spatium exiguum vacat casu puto. — FAC, deinde OS aes: FACITO . . . OS Urs.: FACITO · VTEI · L · VIROS · QVOS Sig.

ex h. l. legerint ed[*iderint*], eosque pat[*ronos, quos quei petet*
XXVII *ex h. l. acceperit . . . . in taboleis popliceis scriptos habeat. Ea* (148)
nomina q]uei petiverit et unde petitum erit, quei eorum a 23
volet ex taboleis popli[*ceis describendi is pr(aetor) potestatem* (66)
facito . . . .] ∾

Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient. ∾ b 27
Quei iudices e[*x h. l. lectei erunt,*] quam in rem eis iudices
lectei er[*unt, eius rei ioudices in perpetuom sunto . .* (178)
XXVIII . . *q*]uei pequniam ex [*h. l.*] capiet, eum ob eam rem, a 24
quod pequniam ex h. l. ceper[*it, nei . . . . . neive tribu* (66)
mo]veto, neive equom adimito, neive quid ei *ob* eam rem b 28
fraudei esto. ∾

(3) . . . . . [*sc*]ripta sient. ∾ Pr(aetor) quei ex h. l. (184)
XXIX v . . . . . ∾

[*De iudicio in eum, quei mortuos e*]rit aut in a 25
exilium abierit. ∾ Quoium nomen ex h. l. delatum eri[*t,* (66)
sei is ante mortuos erit . . . . aut in exiliu]m abierit, quam b 29
ea res *iu*dicata erit, pr(aetor), ad quem eius nomen d[*elatum*
erit, eam] rem ab eis item quaerito, [*quei ioudicium ex h(ace)*
l(ege) erunt, quasei sei is, quoius nomen ex h. l. delatum erit, (188)
XXX *viveret inve ceivitate esset . . . .* ∾

De inquisitione facienda. ∾ *Praetor de eo, quo*]iu[*s*] a 26
nomen ex h. l. ad se delatum erit, facito, utei ioudicium p[*rimo*
quoque die fiat, eique, quei ex h. l. nomen detolerit, dies quot (66)
sibi videbitur det, utei q]uod recte factum esse volet, dum nei b 30
quid advorsus h. l. fiat, [*ad inquisitionem fac*]iundam; neive (189)
XXXI post h. [*l. rogatam . . . . iubetoque*] conquaeri in terra Italia a 27

XXVI = *b* 26 LEGERINT · E' (potest fuisse D), deinde ¦OSQVE PAT¦ aes, LEGERINT EDIDERINT EOSQVE PATRONOS Sig. Urs.

XXVII = *b* 27 extr. LECTEI · ER¦ aes, ERVNT E¦ antea dederamus.

XXVIII = *a* 24 PEQVNIAM · E¦ ¯EVM aes, fuit PEQVNIAM · EX · H · L · CAPIET · EVM; PEQVNIAM · CAPIET · EVM Mazochius; iam Mazochii aetate tabulam hoc loco hiasse ostendit similis hiatus in parte obversa huic respondens (agr. v. 35).

= *b* 28 QVID · EIVS · EAM aes; EIVS errore scriptum pro EI · OB scalptor emendare voluit, sed emendationem non perfecit. — Post ESTO spatium, quo capitis finem aes indicare solet, vacat in tabula, item post SIENT. — fin. H · L · ¦ aes.

XXIX = *a* 25 RIT · AVT IN EX[ILIVM ABIERIT Q]VOIVM: uncis inclusa servavit Mazochius spatium quoque vacuum indicans.

= *b* 29 ¦M · ABIERIT aes. — NDICATA pro IVDICATA aes. — NOMEN D¦*elatum erit eam* ¦REM aes (M REM Sig. Urs.); supplementum vix sufficit, cum spatium capiat litteras 15—18.

XXX = *a* 26 superest IV, non N, itaque supplendum erit monente Huelseno *quo*]IV[*s vel quo*]IV[*m*; deinde NOMEN EX H L AD SE DELAT servavit Mazochius.

= *b* 30 in. ¦VOD aes. — FIA⁻/ /VNDAM aes.

XXXI = *a* 27 CONQVAERI IN TERRA ITALIA OPP servavit Mazochius.

in oppedeis foreis conciliab[*oleis, ubei iure deicundo praesse* (68)
solent, aut extra Italiam in oppedeis foreis con]ciliaboleis, b 31
ubei ioure deicundo praesse solent. In quibus di[*ebus
eum quei petet prae*]tor quei ex h. l. quaere[*t, conquaerere
iouserit* . . . . ∾ (190)

XXXII *Testibus ut denuntietur.* ∾ *Pr(aetor) ioudiciumque
postquam*] audierit, quod eius rei quaerundai censeant refere, a 28
et c[*ausam probaverit, quibus is quei petet denuntiaverit, eos* (68)
homines d(um) t(axat) IIL testimonium deic]ere iubeto et b 32
quom ea res agetur quam in rem quisque testis er[*it, in
eam rem facito eis*] omnes adsient testimo[*niumque deicant,*

XXXIII *dum nei quem testimonium deicere iubeat, quei* . . . . *quoiave* (191)
in fide is unde petetur siet maioresve in maior]um eius fide a 29
fuerint, queive in fide eius siet, maioresv[*e in maiorum eius
fide fuerint, queive eius, quoius ex h. l. nomen delatum erit,* (65)
c]ausam deicet dum taxat unum, queive eius parentisve eius b 33
l[*eibertus leiberta*]ve siet. —

De inro[*ganda multa.* ∾ . . . . ∾ (195)

XXXIV *De testibus tabulisque custodiendis.* ∾ *Is quei
petet, sei quos ad testimonium deicendum evocari*]t secumve a 30
duxerit dumtaxat homines IIL earum re[*rum causa, de quibus* (61)
id ioudicium fiet . . . . *e*]a, quai ita conquaesiverit et sei qua b 34
tabulas libros leiterasve pop[*licas preivatasve produ*]cere pro- (197)

XXXV ferrequ[*e volet* . . . .]ive de ea re volet apud pr(aetorem), a 31 (66)
is praetor ei moram ne faci[*to, quominus* . . . .]at. ∾ b 35

Praetor utei interroget. ∾ Pr(aetor) quei ex h. l.
q[*uaeret* . . . . ∾ (229)

XXXI = *b* 31 QVIBVS DI¦ aes.

XXXII = *a* 28 AVDIERIT QVOD EIVS REI QVAERVNDAI C servavit Mazochius.
= *b* 32 in. ¦-RE IVBETO aes. — EI·RES aes.

XXXIII = *a* 29 VM EIVS FIDE QVAERAT (reposui FIDE FVERINT ex v. 10) QVEIVE IN FIDE EIVS (sequitur sp. vac.) servavit Mazochius. VE·E
= *b* 33 in. AVSAM (litterae primae vestigium adest exile) aes. — QVEI·EIVS (E addita videtur ad determinandum locum, quo inseratur VE) aes. — PARENTISVE·EIVS·I¦ aes. — fin. DE INRO¦ aes.

XXXIV = *a* 30 ¦FARVM·RE¦ hodie superest, reliqua servavit Mazochius; recte is IIL; similiter est in lege Silia apud Festum p. 246: *rini duo quinquaginta sextari quadrantal siet;* intellege *duodequinquaginta.*
= *b* 34 in. ¦A·QVAI aes. — fin. PROFERREQV¦ aes.

XXXV = *a* 31 PRAETOREI Maz., id est PRAETOR·EI, PRAETORI Sig. Urs. errore — in hoc versu (hodie in aere postremo) litterarum CI ex *facito* vestigia repperit Huelsen; reliqua itemque quae sequuntur ex *a* servavit Mazochius.
= *b* 35 in. ¦AT aes.

XXXVI *Ioudices utei iourent ante quam considant.* ∾
P(raetor) quei ex h. l. quaeret, quei in ea]m rem ioudices a 32
erunt, ante quam primum caussa d[*icetur . . . . apud se iou-* (71)
rent facit]o. Iudices, quei in eam rem erunt, omnes pro b 36
XXXVII rostreis in forum [*rorsus iouranto . . . . facturumque se, utei* (229)
quod recte factum esse vo]let, utei testium, quei [*in*] eam rem a 33
erunt, verba audiat, [. . . . *neque se facturum quo*] eam rem (74)
minus ioudicet, nisei sei quae causa erit, quae eie[*i ex h. l.* b 37
XXXVIII *quo eam rem minus ioudicet permittet . . . . Quei ita apud* (231)
se iourarint eorum nomina is praetor facito in contione r]e- a 34
citentur, proscripta propositaque palam apud for[*um habeto,*
. . . . *neve nisei ita iourarit de ea re considere sinito quem-* (76)
quam eorum quei ex e]is C ioudices L lectei erunt. ∾ b 38

Ioudex nei quis disputet. ∾

XXXIX . . . . *Sei . . causam sibi esse deicet, quominus ad id*] iudi- (229)
cium adesse possit, de ea re praetori, quei ex hac[*e l(ege)* a 35
quaeret cognoscere . . ius esto. ∾ (85)
De iudicio proferendo vel refere]ndo. ∾ Quam b 39
rem pr(aetor) ex h. l. egerit, sei eam rem proferet, quoi . . (228)
XL . . *sei refer*]re poterit, facito quoius deicet nomen referre . . a 36 (91)
. . it utei *is* ad sese veniat aut adferatur coram eo, quei b 40
XLI postulaver[*it . . . . vo*]let, quoius ex h. l. *no*minis delatio erit, (227) a 37
ei eius rei pe[*titio esto . . de*]que ea re hace lege iudicium (102)
litisque aestumatio essto, quasei sei eius . . . . b 41 (226)
XLII [*Sei ioudex, q*]uei eam rem quaeret, ex h. l. causam non a 38
nover[*it . . . . is praetor c*]oram [*iudicib*]us in contione pro (113) b 42
XLIII rostris sententia ita pronontiato: 'fec[*isse videri*' . . . . *Sei de* (224)
ea re] iudicium fieri oportebit, ter[*tio dic facito iudicium* a 39 (112)
fiat . . . . Sei ioudex, quei eam r]em quaeret, ex h. l. causam b 43
non noverit, pr(aetor) quei ex h. l. q[*uaeret . . . .* ∾ (221)

XXXVII = *a* 33 IN om. Maz.
= *b* 37 EIE¦ aes.

XXXVIII = *b* 38 in. ¦IS·C aes. — post DISPVTET sp. vac. in aere.

XXXIX = *a* 35 . . . E IVDICIVM Maz.

XL = *a* 36 servavit Mazochius, omiserunt Sigonius Ursinus Klenzius, restitui ego in Richteri annalibus 1842 p. 762.
= *b* 40 in. ¦IT aes. — VT·EIVS aes errore, nam hac aetate *utei* scribitur. — fin. POSTVLAVE\ aes.

XLI = *a* 37 HOMINIS Maz.
= *b* 41 EIVS\ aes.

XLII = *b* 42 in. \ORAM aes. — \VS·IN aes.

XLIII = *b* 43 in. \M·QVAERET aes.

XLIV *Ioudices utei iourent ante quam in consilium eant.* ∾ *Pr(aetor), quei ex h. l. quaeret, ioudices, quei ex h. l. in eam rem erunt, in consilium an*]te quam ibunt, facito a 40 (128) iurent: sese [.... *neque facturum q*]uo quis suae alterius b 44
XLV sententiae certior siet, quod p[*er dolum malum fiat* ....]atu- (221) a 41
rum esse. ∾

Iudice[*s*] ¦ multam supremam debea[*nt.* ∾ .... e 1 (128)
sei ioudex, quei eam rem qu]aeret, causam non noverit, quei b 45
XLVI eorum ioudex [.... *excu*]satione primo quo|que die deferatur, (221) a 42; e 2
isque quaestor [.... ∾ (126)

Iudices in co]nsilium quomodo eant. ∾ Pr(aetor), b 46
quei ex h. l. iu[*dicium exercebit .... Iudex quei ad id*
XLVII *delectus erit, sei rem, de qua .... agitur, plus tertiae parti* (221)
iudicum, quei aderunt, quom ea res aget]ur, [*non lique*]re a 43 extr.; e 3
deixerit, praetor [*quei*] ex h. l. quaeret ita pronon[*tiato et*
ad rem denuo agendam alium diem dato .... eoque die eorum (120)
iudicu]m quei quomque aderunt iudicare i[*ubeto. .... Ad* b 47
quem praetorem ita relatum erit iudicum plus tertiam partem (222)
XLVIII *negare iu*]dicare, is HS n(ummum) ccIↃↃ, quotiens quomque e 4
amplius bis in uno iu[*dicio iudicare negarint, ... singulis* (119)
quei iudicare negarint multam dicito. Tu]m quam ob rem b 48
et quantum pequ[*niae dixerit, publice proscribito*] .... ∾ (215)

XLIV = *a* 40 FACIT Maz.
= *b* 44 fin. QVOD · P¦ aes.

XLV = *a* 41 post ESSE exiguum spatium vacat apud Mazochium.
= *e* 1 MVTAM Boiss. solus. — SVPREMA · DELEA Urs., SVPREMA · DEI Briss. Boiss.

XLVI = *a* 42 litteras extremas OQVO dimidiatas exhibet Maz.
= *e* 2 DIE om. Boiss. — ISQ Boiss. — QVAESTO Briss., QVESTO Boiss.

XLVII = *e* 3 a DEIXERIT ad ITA habet Hamo. — DEIXERIT (RE om.) Briss. Boiss. — QVEI in aere defuit, om. Urs. Briss. Boiss. — QVERET Briss. Boiss.
= *b* 47 IVDICARE · I¦ aes.

XLVIII = *e* 4—14 sic male divulserunt Briss. Boiss., ut ubi posui virgulas binas versuum initia signent, praeterea scriptura continuetur: [*e* 4] DICARE .... BIS || IN VNO IV [*e* 5] REIS .... IVDICVM || QVEI ADEI [*e* 6] REM AGITO .... VIATORIBVS APPARITORIBVSQVE NEI DEI [*e* 7] QVE IVDICIS .... SORTICOLAM || VNAM .... IIII [*e* 8] EAMQVE .... EX HACE || LEGE .... PALA || [*e* 9] CVNDA .... MANVM || DEMITITO IT EAM .... POPVL [*e* 10] DEMNO .... SCRIPTVM ERIT || SEINE SVFRACIO .... PROXSVMO IVD || [*e* 9] CVNDA .... MANVM DEMITITO || IT EAM .... POPVL [*e* 11] OD PRAEVARICATIONIS .... LEGE || EIVS REI .... CONDEMNAN [*e* 12] AVT .... NISEI QVOD || POST EA .... ERIT AV [*e* 13] M · QVEI .... CONDEMNATVS || ERIT .... CENSVER [*e* 14] RIPTVM || TRANSPITO .... AESTVMANDEIS. — *e* 4 a DICAREIS ad VNO habet Hamo. — DICARE · IS Briss., DICAREIS Hamo et cod. Vat. m. 1, DEICAREIS Boiss., DICAT · EIS cod. Vat. m. 2 et Urs. — ⋔ Hamo Boiss., ⅄ Briss., CCIↃↃↃ Urs. compendio male intellecto, quod significat decem vel potius dena milia. — QVONQVE Boiss.

XLIX *De*] reis quomodo iudicetur. ∾ Ubi duae partes e 5
iudicum, quei ader[*unt, causam sibi liquere deixerint* . . . . (111)
pr(aetor), quei de ea re quaeret, utei eis iudice]s, quei iudicare b 49
L negarint, semovant[*ur facito* . . . .] rem agito. Tum praetor (212)
quom soueis viatoribus apparitoribusque nei de i[*udicio iudex* e 6
discedat curato . . . . *sitellamque latam digitos* . . *altam digitos*] (108)
XX, quo ioudices sorticolas conieciant [*adponi facito* . . . . b 50 (207)
LI *quoius*]que iudicis is praetor sorticolam unam buxeam longam e 7
digitos IIII, la[*tam digitos* . . *ab utraque parte ceratam* . . . .
in qua sorticola ex altera parti leitera A scripta siet, ex (107)
alte]ra parti C, in manu palam dato al[*teramque utram velit* b 51
LII *leiteram eum iudicem inducere iubeto* . . . . *Iudex ita inducito*] (202)
eamque sortem ex hace lege apertam bracioque aperto e 8
literam digiteis opertam pala[*m ad eam sitellam deferto eam-* (106)
que sortem in populum . . . . *i*]temque in eos ceteros singi- b 52
latim iu[*dices versus ostendito, itaque in eam sitellam con-*
LIII *iecito* . . . . ∾ (196)

Sententiae quomodo pronontientur. ∾ *Quei iudex*
pronontiationis faci]undai causa ad sitellam sorti veniet, is e 9
in eam sitellam manum demitito *et* eam devexam popul[*o* (50)
ostendito . . . . *i*]udiciu[*m* . . . . *quamque in eum r*]eum sen- d 1 (50) b 53 extr.

XLIX = *e* 5 VBI · DVAE · PARTES habet Hamo. — Spatium ante VBI notat unus Urs. — VBI Hamo Urs. Boiss., VBEI Briss., cod. Vat. m. 1 — ADEI Briss. Boiss.

L = *e* 6 CVM · SOVEIS Boiss. — APARITORIBVSQ · Boiss. — extr. DEI Briss. Boiss., ita tamen, ut utrum ad *e* 6 extr. an ad *e* 7 in. id referatur, incertum sit (v. ad v. 48); om. Urs.

LI = *e* 7 LA om. Briss. Boiss.

= *b* 51 DATO · AI¦ aes.

LII = *e* 8 EAMQ · Boiss. — HACCE Boiss. — BRAGIOQVE Boiss. — LITERAM Urs., LITIERAM Briss. Boiss.

= *b* 52 SINCILATIM aes.

LIII = *e* 9 errore bis et suo loco et inter *e* 10 et 11 exhibent Briss. Boiss. — VNDAI Urs., CVNDA Briss. Boiss. — DEMITITO Briss. utroque loco, priore Boiss., DEMITTITO Urs. — ITEAM Briss. Boiss., TAM Urs. — POPVL Briss. Boiss., POPVLO Urs.

= *d* 1 ¦VDICIV¦ aes.

= *b* 53 EVM SENTENTIA aes. — IERIT · IS · E (extrema littera fuit E vel B vel P) aes. — Ceterum *b* extremam sic Ursinus representavit utrimque:

rep. v. 53.

. . . M · SENTENTIA . . . . . VERIT · IV . . .

. . . REO · AP . . .

agr. v. 61.

. . . SEVE · IVDICATO · QVAM · QVANTVM · NVMER . . .

Elementa illa REO · AP in antica hodie non adsunt et nituntur solo Ursini testimonio, post cuius aetatem quominus tabulam hoc loco imminutam credamus.

LIV tentia[*m ea sors hab*]uerit, is ei [. . . . *palam pronontiato, ubei A leitera scripta erit* 'apsolvo', *ubei C leitera scripta erit* (195)
'*con*]demno', ubei nihil scriptum erit 'seine suffragio'. Ex e 10
qua sorti pronontiarit, eam sortem proxsumo iud[*ici . . . . in* (29)
manum] transdito. d 2

LV De n[*umerandis sententiis.* ∾ . . . . ∾ (276)
De] reo ap[*solvendo.* ∾ *Nisei eae sententiae ibei plurumae erunt* 'condemno', *pr(aetor), quei ex h. l. quaeret, eum reum pronontiato non fecisse videri. De quo reo pr(aetor) ita pronontiaverit, quod postea non fecerit aut qu*]od prae- e 11
varicationis causa factum non erit, is ex hace lege eius rei apsolutus esto. ∾

De reo condemnan[*do.* ∾ *Sei eae sententia*]e ibei (22)
plurumae erunt 'condemno', pr(aetor), qu[*ei ex h. l. quaeret,* d 3

LVI *eum reum pronontiato fecisse videri . . . .* ∾ (265)
De eadem re ne bis agatur. ∾ *Quei ex h. l. condemnatus*] aut apsolutus erit, quom eo *h.* l, nisei quod post e 12
ea fecerit, aut nisei quod praevaricationis caussa factum erit, (15)
au[*t nisei de litibus*] aestumandis aut nisei de sanctione d 4
hoiusce legis, actio nei es[*to . . . .* ∾

LVII *De praedibus dandis bonisve possidendis.* ∾ (261)
Iudex, quei eam rem quaesierit, earum rer]um, quei ex h. l. e 13

---

impedit aliquatenus posticae comparatio, quamquam litterarum dimidiatarum condicio et lectionis diligentia potuerunt differre. Ego propterea aliquando conieci agrariae v. 62 extremum, in QVO RE ROM . . . . AGRI fugientibus litteris cernitur, ab Ursino in lege agr. omissum et versui ad repetundarum v. 53 ab eo adiecto aliquatenus similem ab Ursino e postica in anticam translatum esse; attamen secundis curis magis visum est retinere lectionem Ursinianam supplemento, quod hic locus requirit, *[de] reo ap[solvendo]* ita aptam, ut de casu cogitari vix possit.

LIV = *e* 10 SVFRACIO Briss. — PRONVNTIARIT Briss., PRONVNCIARIT Boiss. — IVD Urs. Briss., SVP Boiss.

= *d* 2 TRANSDITO aes. Idem *transdito* est v. 58. — DE 1 aes.

LV = *e* 11 OD Briss., ID Boiss., QVOD Urs. — EIS pro EIVS Boiss. — Spatium post ESTO notavit solus Urs. — Inter *e* 11 et *d* 3 litterae videntur excidisse viginti vel triginta; nam inter *e* 12 et *d* 4 desiderantur litterae fere sedecim. *d* 3 autem decem litteris sinistrorsum brevior est quam *d* 4 itemque *e* 11 dextrorsum paullo brevior videtur fuisse quam *e* 12. Denique in postica qui respondet v. 64 tot quot dixi litteras facile admittit. Ab hoc inde loco de reliquorum hiatuum inter E et D ambitu satis constat.

= *d* 3 in. LIDI aes.

LVI = *e* 12 FI·L Briss., FL·L Boiss., F·L Urs. — CAVSSA Urs., CAVSA Briss. Boiss. — ERIT·AV Briss. Boiss., ERIT AVT Urs.

LVII = *e* 13 VM cod. Vat., EVM Urs., M Briss. Boiss.

condemnatus erit, q(uaestori) praedes facito det de consili maioris partis sententia, quantei eis censuer[*int; sei ita* (14)
p]raedes datei non erunt, bona eius facito puplice possideantur d 5
conq[*uaerantur veneant. Quantae pequniae ea bona venierint, tantam pequniam iudex, quei eam rem quaesierit, ab emptore* (257)
LVIII *exigito . . . . quaestorique eam pequniam et quanta fuerit*] scriptum transdito; quaestor accipito et in taboleis popliceis e 14
scriptum habeto. ∾

De leitibus aestumandeis. ∾ [*Quei ex*] *hace* lege (14) d 6
condemnatus erit, ab eo quod quisque petet, quoius ex hace lege peti[*tio erit, id praetor, quei eam rem quaesierit, eos iudices, quei eam rem iudicaverint, aestumare iubeto . . . .* (252)
LIX *quod ante h. l. rogatam consilio probabitur captum coactum ab*]latum avorsum conciliatumve esse, eas res omnis simpli, e 15
ceteras res omnis, quo*d* post hance legem rogatam co[*nsilio* (14)
probabit]ur captum coactum ablatum avorsum conciliatumve d 7
esse, dupli; idque ad qua[*estorem, quantum siet quoiusque nomine ea lis aestumata siet, facito deferatur.* ∾ (250)

De pequnia ex aerario solvenda. ∾ *Quei iudici, quei eam rem quaesierit, consilioque eius maiorei parti . . . .*
LX *satisfecerit, nomine su*]o parentisve suei, quoive ipse parensve e 16
suos heres siet, leitem aestumatam esse; queive eiei iudicei consilioque eius maiorei pa[*rti eorum sa*]tis fecerit, regis (14) d 8
populeive ceivisve suei nomine litem aestumatam esse sibei:
LXI q[*uanta ea pequnia erit, is iudex facito . . . . sei de ea re praedes dati erunt seive quantae pequniae eae lites aestumatae* (268)
erunt, tanta pequnia ex] hace lege in aerario posita erit ob e 17
eam rem quod eo nomine lis aestumata erit, in triduo proxsumo, quo ita satis [*factum erit,*] ex hace lege solvatur; (14) d 9
neive quis iudex neive quaestor facito sciens dolo m[*alo, quo minus ita satis fiat, itaque solvatur . . . .* ∾ (246)

LVII = *e* 13 EIS Briss. Urs., EI Boiss.

LVIII = *e* 14 SCRIPTVM Urs. Boiss., RIPTVM Briss. — TRANSPITO Briss. Boiss. — QVASTOR Briss., QVESTOR Boiss. — POBLICEIS Briss. Boiss. — LITIBVS Briss. Boiss.
= *d* 6 in. IACI aes.

LIX = *e* 15 LATVM Urs. Boiss., ABLATVM Briss. — EA traditur. — CAETERAS Boiss. — QVOS traditur. — CE . . . . Briss. Boiss.
= *d* 7 QVI aes.

LX = *e* 16 initio o Urs. om. — LITEM Urs. — EI pro EIEI Boiss. — CONCILIOQ. Boiss. — MAIORI (om. PA) Briss. Boiss.

LXI = *e* 17 in. IACE Boiss. — PROXSVMO Urs. Boiss., PROXVMO Briss.

LXII *De tributo indicendo.* ∾ *Quanti iudex quei eam rem quaesierit, leites aestumaverit, sei is iud*]ex ex hace lege e 18
pequniam omnem ad quaestorem redigere non potuerit, tum
in diebus X proxsumeis, quibus [*quae potue*]rit redacta erit, (14) d 10
iudex quei eam rem quaesierit, queive iudex hace lege
LXIII fac[*tus erit, tum cum pecunia illa redacta erit, tributum indicito . . . . diemque edito, qua is quoius parentisve quoius eiusve* (244)
quoi ipse parensve suos heres siet, ita lites] aestumatae erunt, e 19
[*aut*] quoius regis populeive nomine lis aestumata erit, legati
adessint, dum nei longius C dies edat. ∾

[*De trib*]uto servando. ∾ Ubei ea dies venerit, quo (14) d 11
die iusei erunt adesse, iudex, quei e[*um tributum indixerit,*
quanta pequnia de eius, quei ex h. l. condemnatus est, bonis
redacta erit, tantam pequniam in eas lites, quae aestumatae (243)
LXIV *erant, pro portioni tribuito . . . . Queique ei iudici consilioque*
eius maiori parti eam litem aestumatam esse sibei satis] fece- e 20
rit, ei primo quoque die quaestorem solvere iubeto, quae-
storque eam pequniam eis sed fraude sua solvito. ∾

Reliquom] in aerario siet. ∾ Quod eorum nomine, (14) d 12
quei non aderit, tributus factus [*erit, quaestor in aerario ser-*
vato . . . . ∾ (227)

LXV *De tributo proscribendo.* ∾ *Quei*] praetor ex hace e 21
lege tribuendei causa prodeixerit, is, utei quod recte factum
esse volet facito, quomodo prode[*ixerit ea omnia m*]aiore (20) d 13

LXII = *e* 18 EX · EX · HACE Briss., EX · HACE Boiss., EX · HAC Urs., uterque EX altero omisso. — POSTVERIT Boiss. — PROXSVMEIS Urs. Boiss., PROXVMEIS Briss.
= *d* 10 FAC¦ aes.

LXIII = *e* 19 AESTIMATAE Briss., IMATAE Boiss. — AVT ante QVOIVS addidi. — QVOIVS · REGIS Urs. Briss., QVO · SVI · REGIS Boiss. — POPVLOVE Briss. solus. — LEGATI Briss. Boiss., LEGATEI Urs. — ADESSINT Briss. Boiss., quod est futuri antiqui in *so* tertia pluralis ut *faxint;* ADESSENT Urs. ex prava emendatione.
= *d* 11 QVEI · I¦ aes.

LXIV = *e* 20 ab EI PRIMO ad finem praeter reliquos habet Scaliger (v. supra p. 6). — EGERIT Briss. Boiss. — DEI pro DIE Boiss. — FRVDE Scal. Briss., FRAVDE Urs. Boiss.
= *d* 12 ADFRIT aes.

LXV = *e* 21 ab EX · HACE ad FACITO praeter reliquos habet Scaliger. — PRAETOR · EX · HACE · LEGE Urs. et cod. Vat. m. 2; at num ita in aere vere fuerit, admodum dubium est, nam EX · H · L · (om. PRAETOR) cod. Vat. m. 1, VERO . REX · HACE · LEGE Briss., VERO · A · R · EX HACE · LEGE Boiss. — CAVSSA Scal. — FACITO QVOMODO PRODE hoc versu et sequentem totum et v. *e* 23 AM HABEBIT EIS FACIVNTO om. Briss. Boiss., decepti formula bis iisdem verbis repetita.
= *d* 13 AIORE aes prima littera dubia. — FRIT aes.

parte diei ad eam diem, donec solutum erit, apud forum
palam, ubei de plano r[*ecte lege possitur, proscripta proposita-* (200)
LXVI *que habeat . . . . praetor, quei eum tributum*] ‖ fecerit, die[*s* .. c 1
prox]umos ex ea die, qua tributus factus erit, apud forum (6) e 22
palam, ubei de plano recte legi possitur, proscri[*bito.* ∾ (20)

Pequnia] post quinquenium populei fiet. ∾ d 14
Quae pequnia ex hace lege in aerarium posita erit, quod in
anneis qu[*inque proxumeis ex ea die, qua tributus factus erit,*
eius pequniae quaestor ex h. l. non solverit, populei esto. ∾

De pecunia a praedibus exigenda. ∾ *Quaestor* (201)
quoi aerarium provincia obvenerit, quoi quaestori ex h. l. prae-
LXVII *des datei erunt, queive quaestor deinceps*] ‖ eandem provin- c 2
[*ci*]am habebit, eis faciunto, utei quod recte factum esse e 23
volet, quod eius is reus non solverit, ab eis pr[*aedibus primo* (20)
quo]que die pequnia exigatur. ∾ d 15

Pequnia in fiscis opsignetur. ∾ Quae quomque
pequnia ex hace lege ad q[*uaestorem redacta erit, is quaestor*
ea pequnia facito in fiscis siet fiscique signo suo opsignentur, (201)
LXVIII . . . . *singulisque fiscis inscribatur*] ‖ quis praetor litis aes- c 3
tumaverit et unde ea pequnia redacta siet quantumque in e 24
eo fisco siet. Quaestor, quei quom[*que erit, utei quod*] recte (20) d 16
factum esse volet, facito in diebus V proxumeis, quibus
quomque eiei aerarium provincia obvenerit, [*fisci resignentur,*
et sei ea pequnia, quam in eo fisco esse inscriptum erit, ibei (201)
inventa erit, denuo opsignentur . . . . ∾

LXIX *Quaestor utei solvat.* ∾ *Quoi*] ‖ pequniam ex hace c 4
lege, | quod sine malo pequlatu fiat, pr(aetor), quei ex hace e 25
lege quaeret, darei solvi iuserit, id quaestor [*quei aerarium* (20)
pro]vinciam optinebit, sed fraude sua extra ordinem dato d 17
solvitoque. ∾

Quaestor moram nei facito. ∾ Q[*uaestor* . . . . ∾ (200)

LXV = *d* 13 FORVM aes. — PLANO · D aes.

LXVI = *c* (lamina a principio integra) 1 DIE aes.
= *d* 14 QV aes.

LXVII = *e* 23 verba AB EIS PR versui *e* 24 adhaeserunt apud Briss. Boiss.

LXVIII = *e* 24 STVMAVERIT Briss. Boiss., AESTVMAVERIT Urs.; at in tabula *c* (quae ab hoc inde versu ad alteram E se applicat) hodiedum in aere superest AES. — REDACTE Briss. — QVIQVOM Urs.

LXIX = *e* 25 habet Hamo. — PEQVLATVM aes. — P · R · Boiss. — QVI Urs. — DARET Briss. Boiss. — IVS · ERIT pro IVSERIT traditur. — QVAETOP Briss.
= *d* 17 OPTINEBIT aes. — QV aes.

LXX *Iudicium nei quis impediat.* ∾ *Quod*] ‖ ex hace lege c 5
iudicium fie|ri oportebit, quom ex hace lege fieri oportebit, e 26
nei quis magistratus prove magistratu prove [*quo imperio* (25)
potestateve erit facito, quo]minus setiusve fiat iudiceturve; neive d 18
quis eum, quei ex hace lege iudicium exercebit, neive eum,
que[*i ex h. l. iudicabit, neive eum, quei ex h. l. petet neive* (200)
LXXI *eum, unde petetur, ... ab eo iudicio avocato neive*] ‖ avoca- c 6
rier iubeto, neive ab|ducito neive abducier iubeto neive e 27
facito quo quis eorum minus ad id iudicium adesse poss[*it* (25)
quove quoi eorum minus in eo iudici]o verba audeire in con- d 19
silium eire iudicare liceat; neive iudicium dimitere iubeto.
LXXII nisei quom senatu[*s ioure vocabitur . . . . aut nisei quom* (200)

LXX = *c* 5 NDICVM aes. — finit in FIEI

= *e* 26 in. RI OPORTEBIT Briss. Boiss., RI om. Urs. — Inter *e* 26 et *d* 18 in hoc aere superest -RII (extrema littera vix T) //MINVS. quae vestigia supplementis probabilibus a Klenzio propositis recte aptabuntur, etsi fortasse scalptor dedit ERII pro ERIT.

LXXI = *e* 27 OVCITO Briss. solus. — QVOD QVIS Briss. solus.

= *d* 19 ÞVERBA (vel NERBA) aes.

LXXII. Iam inde a verbis SEI·IS·PRAETOR septeni versus 72 med. — 79 med. et 79 med. — 85 fin. ita sibi respondent, ut infra*) utroque ordine composito et hiatibus, qui sic remanent, indicatis demonstratur; unde apparet capita quinque de continuando per magistratus deinceps factos iudicio, de rebus ante iudicatis factisve, de praevaricatione accusatoris punienda, de civitate accusatori danda, denique capitis de provocatione eidem concedenda partem priorem in lege bis scripta fuisse ita, ut dittographiae eius neque ratio neque causa appareat ulla. Nam quod observata ea primum putabam similia quidem neque tamen eadem utroque loco perscripta fuisse, fere ut accidit in duobus de iudicibus in proximum annum et in futuros legendis capitibus, nec tamen in his multo magis laceris reliquiis discrimen quod fuit hodie apparere, id fieri ita potuisse concedendum quidem est poteritque qui volet eo trahere minora quaedam inter utrumque ordinem discrimina, maxime in capitis de provocatione spatiis definiendis, sed tamen probabilitate ea opinio destituitur. cum praesertim dittographia non ibi finiat, ubi certum argumentum terminatur, sed in medio de provocatione danda loco. Quam ob rem legis scalptor, quem indiligentem fuisse universa tabula ostendit, cum v. 79 verba IN·SV[A QVOIVSQVE·CEIV]ITATE incidisset. iam perscripta errore iteravit. Ceterum in lege restituenda ex dittographia illa aliquantum profecimus.

---

*) Iudex deinceps faciat pr *(desunt litterae paucae)* | Sei is praetor, quei
ex hace lege quaeret, sei | *(desunt litt. c. 18)* | vel urbana provinc ia obvenerit
eo magistratu ioudiciove inperiove abierit abdicaverit | mortuosve erit ante

(LXXIX) *centuriae aut*] ‖ tribus intro vocabuntur, ex tra quam sei quid c 7; e 28
in saturam feretur. ∾

[*Iudex deinceps faciat principe cessante, item*
*Iudex deinceps faciat pr[*incipe cessante, item*
quaestor.] ∾ Sei is praetor quei ex hace lege quaeret,
**quaestor.* ∾ *Sei is praetor quei ex hace lege quaeret* |(86)|
sei[*ve is quaestor quoi aerarium vel urbana provinc*]ia ob-
*[*seive is quaestor, quoi aerarium*] vel urbana provincia ob- |d 27|
venerit [*eo magistratu*] ioudiciove inperiove abierit abdicaverit (25) d 20
*venerit, eo magistratu iudiciove inperiove abierit abdicaveritv[e

LXXII = *e* 28 TRA Boiss., TRA reliqui. — post FERETVR spatium signat Urs. — QVI · EX pro QVEI · EX Urs. — QVAERET · SEI Urs., QVAERI · SE Briss. Boiss.

— *d* 20 EO · MAGISTRATV supplevi ex v. 78: excidisse ea demonstrat sequens VE.

---

quam ea omnia ioudica | *(desunt litt. c.* 156*)* | [80]provinciam habebit is utei qu | *(desunt litt.* 19*)* | [73]esse vo[73. 80]let facito utei ea omnia | [73]quod ex hace lege factum non [80]erit faciant fiantque quae ex hace lege fieri oporteret sei | apud eum ea res acta [73. 80]esset deque ea re eiei | praetori quaestorique omnium rerum quod ex | [73]hace lege factum non erit, siremps lex esto qua | *(desunt litt. c.* 195*)* | [81]icium | [74. 81]fuit fueritve [74]ex lege quam L. Calpurnius L. f. | [74. 81]tr. pl. rogav[74]it exve lege quam M. Iunius D. [81]f. tr. pl. rogavit quei eorum eo | *(desunt litt. c.* 23*)* | [74. 81]natus est eritve quo | magis [74]de ea re eius nomen hace lege deferatur quove magis de e[75]a re quom | *(desunt litterae c.* 181*)* | [82]t ante quam ea res | *(desunt litterae c.* 5*)* | [75]erit quom eis hace lege [75. 82]actio nei | [75]esto. De praevaricatione. Praetor quei ex hace lege quaeret, qua de re ei prae | *(desunt litt. c.* 36*)* | [82]m [76. 82]rem iudicandam adfuerint quei vivent [75]eorum maiorei parti satis fecerit e[75]factum erit | nomen quod ex *(desunt litt. c.* 200*)* | [76]De ceivitate danda | [76. 83 76]Seiquis eorum, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege [76]alterei nomen | *(desunt litt. c.* 45*)* | [76. 83]em quoius ex hace lege quaestio erit detoler[76]it [76. 83]eti[83]s eo iudicio hace lege condemnatus erit tum eis qu | *(desunt litt. c.* 196*)* | [77]ceivis Romanus ex hace lege fiet nepotesque *(deest litt.* 1*)* u[77. 84 77]m | eiei filio gnateis [77]ceiveis Romanei iustei sunto | *(desunt litt. c.* 82*)* | m ferunto inque eam tribum [77. 84]censento militiaeque eis vocatio esto aera stipendiaque o[84]mnia merita sunto. Nei qui magistratus pr | *(desunt litt. c.* 168*)* | [78]nihilum rogato. De provocation | *(desunt litt.* 10*)* | [78]eque danda. Sei quis eorum quei | *(desunt litterae c.* 83*)* | [78]tor praetor aedilisve non fuerint ad praetorem quoius ex hace lege quaestio erit | *(desunt quaedam)* [85]natus erit tum quei eius *nomen* detolerit quoius eorum opera ma | *(desunt complura)* [79]eius militiae munerisque poplici in su | *(desunt litt.* 12*)* [79]itate.

mortuosve erit ante quam ea omnia ioudica[*ta soluta factave*
**mortuosve erit ante quam ea omnia ioudicata soluta factave*
crunt, quae eum praetorem eumve quaestorem ex h. l. iudicari
**erunt, quae eum praetorem eumve quaestorem ex h. l. iudicari* |(201)|
iubere solvere facere oportet: queiquomque deinceps praetor ex (200)
**iubere solvere facere oportet: queiquomque deinceps praetor ex*
(XXIII *h. l. quaeret, queive quaestor aerarium vel urbanam . . . .* || pro-
(XXX) **h. l. quaeret, queive quaestor aerarium vel urbanam . . . .*] || pro- |c 15|
vinciam habebit, is, utei quod recte factum] esse volet, facito, c 8
*vinciam habebit is utei qu[*od recte factum esse vo*]let, facito [(20) e 36]
utei ea omnia | quod ex hace lege factum non erit faciant, e 29
*utei ea omnia, [*quod ex hace lege factum non erit faciant,* |(92)|
fiantque quae ex hace lege fieri oporter*et*, sei . . . . [*apud eum*
**fiantque quae ex hace lege fieri oporteret sei*] . . . . apud eum [d 28]
ea res acta esset; deque ea re eiei| praetori quaestorique om- (25) d 21
*ea res acta esset; deque ea re eiei praetori quaestor*ique* om-
nium rerum, quod ex hace lege factum non erit, siremps lex
*nium rerum, quod ex [*hace lege factum non erit, siremps lex*
esto, qua[*sei sei apud eum ea res acta esset . . . .* ∾ (200)
**esto, quasei sei apud eum ea res acta esset . . . .* ∾ |(200)|

De rebus ex lege Calpurnia Iuniave iudicatis. ∾
**De rebus ex lege Calpurnia Iuniave iudicatis.* ∾

(XXIV *Quibusquom ioudicium*] || fuit fueritve ex lege, quam L. Cal- c 9
(XXXI) **Quibusquom* || *ioud*]icium *fuit* fueritve ex leg[*e quam L. Cal-* |c 16|
p|urnius L. f. tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, exve lege, quam e 30
**purnius L. f.*] tribunus plebei rogav[*it, exve lege, quam* [(20) e 37|
M. Iunius D. f. tr. pl. rogavit, quei eorum eo [*ioudicio . . . . apso-*
**M. Iunius D. f. tr. pl. rogavit, quei eorum eo ioudicio . . . . apso-* [(97)|

LXXIII = *e* 29 a QVOD EX usque ad NON ERIT affert Hamo. — QVD Urs. err. typ. — QVAE om. Boiss. — OPORTERE · SEI Urs., OPORTERES Briss., OPORTERET ex corr. Boiss.

LXXIV = *c* 9 L · CALI aes.

= *e* 30 PVRNIVS Briss., DVRNIVS Boiss., VRNIVS Urs. — D · ante F · om. Boiss. — RVEI pro QVEI Boiss. — FORVM Briss. et cod. Vat. 6040 manu prima, ut ita in tabula fuisse videatur; EORVM Urs. Boiss.

(LXXX) = *e* 36 in. . . . L · ET Urs., VOLET Briss., OLET Boiss. — OMNIA Urs. Briss., NOMINA Boiss.

= *d* 28 PRAETOR · QVAESTOR in aere scalptor posuit, litteras singulares rursus male solvens; locus emendatur ex v. 73.

(LXXXI) = *c* 16 EVIT aes.

= *e* 37 fin. ROGAC Briss., ROGAVIT Urs., ROGAT Boiss., cuius additamentum commenticium hinc incipiens supra relatum est p. 9.

lutus vel condemnatus est critve, quo] magis de ea re eius (50) d 22
**lutus vel condem*]natus est critve, quo magis de ea re eius [d 29]
nomen hace lege de*feratur* quove magis de ea re quom [*eo*
*nomen hace lege deferatur quove magis de e[*a re quom eo*
ex h. l. agatur, eius h. l. nihilum rogato. Queique contra h. l. (200)
**ex h. l. agatur, eius h. l. nihilum rogato. Queique contra h. l.* [(200)]
LXXV *fecise dicentur. . . . . nisei lex rogata erit ante quam ea res*
(LXXXII) **fecise dicentur, ... nisei lex* || *rogata eri*]t, ante quam ea res [c 17]
facta] || erit, quom eis hace lege actio nei esto. ∾ c 10
**[facta erit, quom eis hace lege a*]ctio nei [*esto.* ∾ [(36) e 38 ext
[(102)]
|De praevaricatione. ∾ Praetor, quei ex hace lege e 31
[*De praevaricatione. ∾ Praetor, quei ex hace lege*
quaeret, qua de re ei prae[*tori eisque iudicibus, quei ex h. l.* (50)
**quaeret, qua quis de re ei praetori eisque iudicibus, quei ex h. l.*
ad eam rem io]udicandam adfuerint, quei vivent, eorum maiorei d 23
**ad ea*]m rem ioudicandam adfuer[*i*]t, quei vivent, eorum maiori [d 30]
parti satis factum erit, nomen quod ex [*h. l. quis detolerit* (200)
*parti satis fecerit e[*um quei ex h. l. nomen detolerit,* [(200)]
praevaricationis causa eum detulisse . . . . ∾ |
**praevaricationis causa id detulisse . . . .* ∾ |
LXXVI |Dè ceivitate danda. ∾ Sei quis eoru|m, quei ceivis c 11: e 3
(LXXXIII) **[De ceivitate danda.*] ∾ Sei q[*uis eorum, quei ceivis* [c 18]
Romanus non erit, ex hace lege alterei nomen . . . . [*ad prae-* (78)
**Romanus non erit, ex hace lege alterei nomen . . . . ad prae-* [(136)]
tor]em quoius ex hace lege quaestio erit, detolerit, et is *eo* d 24
**torem, quoius e*]x hace lege quaestio erit, detuler[*it et i*]s eo [d 31]
iudicio hace lege condemnatus erit, tu[*m eis quei eius nomen*
*ioudicio hace lege condemnatus erit, tum eis qu[*ei eius nomen*

LXXIV = *d* 22 NOMEN HACE aes spatio interposito; EX abest etiam ubi eadem redeunt v. 81. Cf. ad v. 22. — DEIVRATVRVM · QVOVE · MAGISTRATVS · IS · DE in aere est; Klenzius emendavit ex v. 80, scriptorem in exemplo legisse pro *deferatur* male *deieratur,* pro *magis* male *mag·is* recte adsecutus.

LXXV = *d* 23 PARTIS · SATIS aes.

LXXVI = *e* 32 ALTERI Briss. Boiss.
= *d* 24 EO EO aes.

(LXXXI) = *d* 29]MACIS aes.

(LXXXII) = *e* 38 . . . CTIO · NEI . . Briss., TIONEI Boiss., quod tuetur locus similis v. 75: *hace lege actio nei esto.* Contra Ursinus male edidit sic:

SANCTIO
· · NEI · ·

= *d* 30 ADFVEI[et]· QVEI aes; ADFVERINT spatio excluditur. — MAIORIS · PARTI[aes.

(LXXXIII) = *c* 18 ante SEIC[spatium in aere est.
= *d* 31 in.]K · HACE aes.

detolerit, quoius eorum opera maxime unius eum condemnatum (201)
**detolerit, quoius eorum opera maxime unius eum condemnatum* |(218)|
(XXVII *esse constiterit . . . . || sei volet ipse filieique, quei eiei gnatei*
(XXIV) **esse constiterit . . . . sei volet ipse filieique, quei eiei gnatei*
erunt, quom] ceivis Romanus ex hace lege fiet, nepotesque c 12
**erunt, quom* ceivis *Romanus ex hace lege fiet, nepotesque*
tum eiei filio gnateis ceiveis Romanei iustei sunto [*et in quam* e 33
**[t]*um [*eiei filio gnateis ceiveis Romanei iustei sunto et in quam* |c 19 extr.|
tribum, quoius is nomen ex h. l. detolerit, sufragium tulerit, (82)
**tribum, quoius is nomen ex h. l. detolerit, sufragium tulerit,* |(140)|
in eam tribum sufragiu]m ferunto inque ea*m* tribum censento, d 25
**in eam tribum sufragium ferunto inque eam tribum censento*
militiaeque eis vocatio esto, aera stipendiaque o[*mnia eis*
**militiaeque ei*]s vocatio esto aera stipendia[*que eis*] omnia |d 32|
merita sunto. Nei qui magistratus prove magistratu . . . . eius (201)
*merita sunto. Nei qui magis*tratus* pr[*ore magistratu . . . . eius* |(360)|
(XXVIII *h. l.*] || nihilum rogato. ≂ c 13
(XXXV) **h. l. nihilum rogato.* ≂

De provocation[*e vocation*]eque danda. ≂ Sei quis (10) e 34
**De provocatione vocationeque danda.* ≂ *Sei quis*
eorum, quei [*nominis Latini sunt . . . . quei eorum in sua* (83)
**eorum quei nominis Latini sunt . . . . quei eorum in sua*
quisque civitate dicta]tor praetor aedilisve non fuerint, ad prae- d 26
**quisque civitate dictator praetor aedilisve non fuerint, ad prae-*
torem, quoius ex hace lege quaestio erit, [*ex h. l. alterei*
**torem, quoius ex h. l. quaestio erit, ex h. l. alterei*
nomen detolerit, et is eo iudicio h. l. condemnatus erit, tum
**nomen detolerit et is eo iudicio h. l. condem*]natus erit, tum [d 33]
quei eius nomen detolerit, quoius eorum opera maxime unius
*quei eiu[*s nomen*] detolerit, quoius eorum opera ma[*xime unius*
eum condemnatum esse constiterit, sei ceivis Romanus ex h. l. (201)
**eum condemnatum esse constiterit, sei ceivis Romanus ex h. l.* [(361)|
fierei nolet, ei postea ad p. R. provocare liceto tamquam sei
**fierei nolet, ei postea ad p. R. provocare liceto tamquam sei*

LXXVII = *e* 33 EI pro EIEI Boiss. — IVSTI Boiss. — SVNTO Briss. Boiss., SVNT Urs.
= *d* 25 EA · TRIBVM aes, ut utrum EAM · TRIBVM scriptor dare voluerit an EA · TRIBV incertum sit — extr. QVE c‡ aes.

LXXVIII = *e* 34 EQVE Briss., Ξ · QVAE Boiss. — QVEIS · EORVM Boiss.
= *d* 26 inter [·OR (sic aes prima littera T dubia) et PRAETOR spatium in aere est; cf. v. 22.

(LXXXIV) = *c* 19 extr. incertas litterarum VMC vel VIAC reliquias habet aes: videntur pertinere ad *tum eiei.*
= *d* 32 SVNT in aere est.

ceivis Romanus esset. Item ipsei filieisque nepotibusque ex
**ceivis Romanus esset. Item ipsei filieisque nepotibusque ex*
LXXIX *filio*] ‖ eius militiae munerisque poplici in su[*a quoiusque ceiv*]i- c 14 (16
**filio eius militiae munerisque poplici in sua quoiusque ceiri-*
tate *vocatio immunitasque esto.*] ∾ |
**tate vocatio immunitasque esto.* ∾
LXXXVI | . . i petetur, de ea re eius [*optio est*]o, utrum velit vel in d 34
sua ceivitat[*e* . . . . . (361)
LXXXVII *ha*]bere liceto. ∾ [*Sei quis cei*]vis Romanus ex hace lege d 35
alte[*rei nomen detolerit* . . . . . .] | (362)
LXXXVIII | . . ∾ Quoi ex h[*ace lege provo*]catio erit esseve opor- d 36
tebit . . . . . .] | (417)
LXXXIX . . [*praetor quei inter pe*]regrinos ious [*deicet* . . . . . d 37
. . . . . .] | (424)
XC | . . . . . atei q . . . . . | d 38 extr

LXXIX = *e* 35 . . . VTILITATE IVDEX DEINCEPS FACIAT . . . Urs., ... ATATE · IVDEX · DEINCEPS · FACIAT · PR . . . Briss., ITATE IVDEX DEINCEPS · FACIAT P R Briss.
LXXXVI = *d* 34 (TI · PETETVR (prima littera aut T aut S; punctum certum) aes.
LXXXVIII = *d* 36 extr. OPORTE aes.

I. Cf. lex agr. v. 21: *[civis] Romanus sociumve nominisve Latini.* Civem Romanum hoc loco praetermisi, non tam propter Ciceronis verba, quae in utramque partem trahi possunt, divin. in Caec. 5, 17: *civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato iure repetuntur; haec lex socialis est*, quam propterea quod tota haec repetundarum quaestio cum orta sit ex pecuniae indebitae condictione apud praetorem peregrinum, ad indebiti condictionem inter cives Romanos initio non videtur pertinuisse, quamquam postea sane pertinuit (Cic. pro Cluent. 37, 104; *Strafrecht* p. 721). Neque obstat, quod ex v. 76. 87 constat eum quoque qui civis Romanus esset, ex hac lege nomen deferre potuisse; nam ubi agebatur de pecuniis regi populove (v. 60. 63) ereptis, civis Romanus etiam ad eam rem agendam legari potuit et nomen deferre. Exempli causa Latinae civitatis civis etsi magistratu curuli domi gesto ad civitatem Romanam pervenerat (cf. v. 78), nihilo minus admittebatur ad magistratus, qui ab illa civitate pecunias contra legem cepisse dicebatur, nomen deferendum. — [Aliter visum est Rudorffio p. 431, propterea quod urbani quoque magistratus in lege nominantur et quod 'petitionis, id est civilis actionis, constans et perpetua est in lege commemoratio'. At illud propterea fit, quod etiam magistratus urbanus fieri potest ut pecuniam contra legem a peregrino capiat: praeterea quaecumque leges ad magistratus populi Romani pertinent eos plene enumerare solent. Hoc nemini opinor probabitur propter petendi vocabulum requiri iudicium inter cives.]

II. Tria sunt quae requiruntur in repetundarum reo. Primum reus aut in senatu sit necesse est aut magistratum minorem, quo quasi gradu in senatum ascendebatur, a populo obtinuerit aut horum alicuius filius sit. Quos lex hoc loco ita complexa est, ut primo loco posuerit magistratum a populo qui habuerint, quo comprehenduntur cum quibus in senatu sententiam dicere licet tum qui gesserunt magistratum minorem, secundo collocarit senatores, id est pedarios, filios denique et his et illis adiunxerit. Quare non sine causa hoc loco *senator* nominatur, cum infra v. 16 sit *quei in senatu siet fueritve.* — Alterum est, ut furtum hic commiserit in magistratu sive ordinario sive extra ordinem dato (Dig. 48, 11, 1: *lex Iulia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu potestate curatione legatione vel quo alio officio munere ministeriove publico cepit*), quod indicavi verbis *pro imperio provc potestate* (cf. Fest. ep. p. 50 Muell.). Estque hoc diversum a priore, nam exempli

causa qui consul fuit, repetundarum non peraeque in futurum tempus tenetur, sed ita, si post id tempus pro potestate, puta pro consule agens pecunias contra legem cepit. Cf. v. 8. 9. — Tertio loco de summa cautum est: minima enim praetor non curat. Cf. Dig. 48, 11, 6, 2: *Lege Iulia repetundarum cavetur . . . . . ne . . plus doni muneris in anno accipiant quam quod sit aurcorum centum.* Iulia igitur repeti voluit pecuniam male captam quantamcunque, donatam tum, cum certam summam excederet neque veniret a persona excepta (Dig. 48, 11, 1, 1). Antiquior haec lex non distinguit inter pecuniam captam et pecuniam dono acceptam, quam significat et ipsam tamquam conciliatam, eademque ratione dolum malum lex haec non requirit. Exceptio haec pecuniarum exiguarum componi poterit cum ea quae comprehenditur iureiurando militis furtum se non facturum esse pluris nummi argentei in dies singulos (Gell. 16, 4). Summa periit, fuit tamen infra IIII milia sestertium; nam IIS. $\overline{\text{VIII}}$ n. C. Catoni c. a. 642 ex hac ipsa ut videtur lege repetundarum lis aestimata est (Cic. Verr. 3, 80, 184, ubi et Vaticanus et reliqui fere codices hunc numerum habent, et 4, 10, 22, ubi Regius omnium optimus eundem tuetur), quae pecunia praeter repetitam alterum tantum poenae causa adiectum continet, indeque Velleius (2, 8) Catoni IIS. $\overline{\text{IIII}}$ n. litem aestimatam esse scribit. — [Plebiscitum, quo, ut ait Modestinus (Dig. 1, 18, 18) *continetur, ut ne quis praesidum munus donum caperet nisi esculentum potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur,* non fuit opinor latum de repetundis: nam neque lex Iulia pro plebiscito haberi poterit neque cautio illa facile hisce nostris aptabitur; magis crediderim aliquo tempore de solis donis quae praetoribus provinciarum offerrentur ita lege aliqua cautum esse.]

III. Formula de petitione quaestione iudicio redit v. 4. 6, unde hic suppletur.

IV. Iudicium quod redditur in eum ad quem pecunia capta pervenerit a Klenzio huic loco inlatum a lege hac alienum est. Agitur potius hoc loco de praetore, qui nomen receperit quidem, sed non ita ut recipere debuit, et iudicium dederit, quo petitor se contendat laesum esse; quo facto qui post eum ex hac lege quaerit, quominus idem nomen recipiat non impeditur.

V. Pertinent haec ad regulam iuris Dig. 48, 2, 11, 2: *ab alio delatum alius deferre non potest; sed eum qui abolitione publica vel privata interveniente aut desistente accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur.* Dig. 47, 15, 3, 1: *si reus accusatori publico iudicio ideo praescribat, quod dicat se eodem crimine ab alio*

accusatum et absolutum, cavetur lege Iulia publicorum, ut non prius accusetur, quam de prioris accusatoris praevaricatione constiterit et pronuntiatum fuerit. — [Primum comma Rudorffius rettulit ad translationem iudicii accusatore mortuo supplens *[quod is quei de ea re nomen detolerit ante mortuos siet quam ea res iud]icata erit;* sed eo casu cum nomen rei eximatur, res ad tertium comma pertinet. Item tertio loco quod Rudorffius existimat significari eos, de quibus propter magistratum iudicium fieri nequeat, erravit; hi enim tum solum eximuntur ex reis, cum nomen ante magistratum initum receptum est, et omnino ubi universe de reo eximendo lex cavet, causae eximendi in ea distingui non debuerunt.]

VI. Aliud supplementum nullum inveni, quamquam propositum quo pertineat dubium est. Rudorffius aliquando coniecit hoc loco agi de eo, ad quem ea pecunia pervenerit; quod mihi aliter videtur. Nam primum ex verbis Ciceronis pro Rab. Post. 4, 9 efficitur hoc caput a Glaucia demum inventum deinde tralaticium mansisse, neque ullo modo antiquissimum id iudicari potest, cum eiusmodi exactio recepta sit contra rationem iuris civilis. Deinde nequaquam ab eo, ad quem pecunia male capta pervenit, simpliciter ea exigitur ita, ut repetitur ab ipso eo qui ceperat, sed tum demum cum hic solvendo non est; quod est plane diversum et locum sibi postulat omnino non in prima parte legis, sed post caput de litibus aestimandis. Denique notissimum est in eum, ad quem pecunia pervenisse dicitur, non quaeri, sed litem ei aestimari; quare cum subiciatur *quaestio esto,* hoc loco sequitur non de appendicula illa causae iudicatae actum esse. Videtur potius lex aliqua ratione distinxisse inter eum qui suo eumque qui alieno nomine reum detulerit. — IOVDICIVMVE IOVDICATIO aes, sed VE deest v. 4 neque transpositio eiusmodi, qualis est *quaestio esto ioudiciumve,* in lege ferri potest.

VII. Accusationem ex hac lege ante k. Sept. instituendam esse etiam certiore ratione quam hic apparet infra v. 9, ubi patronus non datur nisi ei qui ante hunc diem nomen detulit. Quod per omnia Romana iudicia videtur obtinuisse propterea, ut si fieri posset sub magistratu qui iudicium dederat lis terminaretur, cum iudicium ad successorem transferre liceret magis quam expediret; vide quae de hac re scripsi in commentario de controversia inter Caesarem et senatum p. 22 additis locis ibi praetermissis Cic. ad Att. 1, 1: *cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri:* Plutarchi q. R. 38: *Κόϊντος Μέτελλος ἀρχιερεὺς γενόμενος ἐκώλυεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα.* Contra qui dixit Zumptius

minor (stud. Rom. p. 191[1]), non satis rem videtur considerasse; duae enim ab eo excitatae causae M. Tuccii et C. Manilii cum fuerint de vi, extra ordinem actae sunt. Neque ego hoc dixi praetorem non toto anno suo iudicavisse, sed rerum actum causarumque ordinariarum inchoationem ea aetate intra k. Mart. et prid. k. Sept. conclusam fuisse. Item ipsa haec lex cum admittat aliquam repetitionem etiam post k. Sept., ea pertinere visa est ad vetustum peregrinorum recuperatorium iudicium, quod extra ordinem consedisse nec legitimum iudiciorum tempus expectasse probabile est. Ita haec lex sociorum causa perlata ius eorum auxit instituto iudicio cum poena dupli patronisque publice datis dataque publica exactione, nec tamen sustulit antiquam leniorem quidem, sed expeditiorem et nonnumquam commodiorem rerum repetendarum formam. Denique in hoc capite privati iudicii non obscurum vestigium remanet, cum privato solvitur; praeterea enim ex hac lege qui condemnatur solvit quaestori publico. Supplementa ita institui, ut hoc significent praetorem eiusmodi petitori ea tribuere oportere, quae ex iure civili petitori in universum tribuuntur. — *Quoius eorum* plurali numero ad eandem formulam quae redit mox v. 9.

VIII. Addendi sunt fortasse magistratus extraordinarii sive qui pro potestate sunt.

IX. Hoc loco cautum fuit de numero patronorum et de exceptionibus, ne patronus quis fieret propter certam causam, item fortasse de divinatione, si plures se offerrent, instituenda.

X. De sodalibus id quod lex dicit Cicero quoque innuit pro Cael. 11, 26: *fera quaedam sodalitas et plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa silvestris ante instituta est quam humanitas atque leges, si quidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando.* Unde apparet de quibusnam collegiis hoc loco lex cogitarit: certe neque excusabantur privata sodalitate coniuncti neque ii, qui cum in eodem collegio aliquando fuissent, ante quam res ageretur collegae esse desierant, ut qui simul in Saliis fuerunt. — Quod attinet ad locum de clientela, quamquam praeterea Klenzius erravit, hoc recte intellexit tam de reo, ne sit in fide patroni, quam de patrono, ne sit in fide rei, olim hic cautum fuisse.

XI. Cf. v. 13. *Mori[bus suspectus]* Klenzio debetur, quod supplementum aptum esse intelleget, qui quam proxime patrocinium ad tutelam accedat expenderit.

1) [Cf. eiusdem Criminalrecht d. röm. Republ. II, 1, 411.]

XII. Futurum *deicet* quamquam alia etiam ratione explicari potest, tamen eo retulerim, quod hanc legem tribuni plebis statim post initum magistratum a. d. IV id. Dec. ante promulgarint, quam praetores anni proximi inirent. — Quod censum equestrem in hanc legem intuli, recte factum puto; locus enim commode eum recipit neque, nisi rerum memoria plane fallit, ab hac lege abesse potest. Nam iudices Gracchani ut ex hac lege iudicent, non sufficit quod statim sequitur senatores eosque qui senatoribus aequiparantur a iudiciis arceri, nisi arcentur praeterea cives infra IIS $\overline{\text{CCCC}}$ n. censi. — Praetermittuntur hoc loco magistratus qui supra tribunum sunt dictator consul praetor magister equitum censor aedilis, id est curules omnes, propterea quod comprehenduntur verbis *quei in senatu siet fueritve;* hac enim aetate qui magistratum curulem gesserant, iure senatores quidem non erant, sed tamen in senatu sententiam dicebant. Cf. Hofmann *der röm. Senat* p. 54 sq. Sane antea ubi enuntiatur, qui hac lege teneantur, et magistratus enumerantur et subiciuntur qui in senatu sunt; sed cum lex potissimum data esset ad magistratus coercendos, recte ibi non significantur tantummodo, sed expresse nominantur.

XIII. Coniectura non improbabili opinor ex vestigiis his *queiv*.... et v. 16 *queive merc* .... in legem intuli gladiatorem auctoratum et histrionem mercede conductum; cf. l. Iul. mun. v. 112. 123. — Passus mille recepi ex lege Iulia municipali et Gaio 4, 104 et aliis locis, unde hunc agrum intra M passus a moenibus eodem cum ipsa urbe iure fuisse colligitur; quamquam fieri potest ut lex maius spatium admiserit. Cf. Appian. b. c. 1, 23.

XIV. Locum de magistratuum filiis et hic et v. 17 inserui cum spatii causa tum collato v. 2, neque res ipsa eum abesse patitur. — *Quos legerit* usque ad *iudicet,* quamquam spatia solita desunt, tamen et argumentum et coniunctivus pro imperativo positus rubricam esse ostendunt.

XV. *De quibus sibei consultum sit* dedi partim ex vestigiis v. 18, partim ex loco Rudentis Plautinae v. 225 Fleckeiseni: *neque eam usquam invenio neque quo eam neque qua quaeram consultumst.* — Iudicum ex lege aliqua lectorum nomina in tabulis publicis, id est ad aerarium populi Romani perscripta et servata esse testatur Cicero Phil. 5, 5, 15: *hos ille demens iudices legisset, horum nomina ad aerarium detulisset?*

XVI. Cuinam praetori lex quaestionem de repetundis tribuerit, in aere periit; fuisse tamen iam ante Sullam aliquem praetorem repetundis ostendit elogium C. VI. 1283, in quo IVDEX Q · VENEFICIS · PR ·

REPETVNDIS dicitur C. Claudius Pulcher praetor a. u. 659. Quare cum ante hanc legem praetorem inter peregrinos de repetundis iudicasse cum aliunde intellegatur tum ex ipsa lege (v. 12), Claudii titulus autem etsi non eius aetatis de qua agit, tamen sincerus omnino et antiquus, praetorem repetundis ante a. 659 institutum esse ostendat, haec magistratus mutatio recte videtur referri ad ipsam hanc legem, id est ad a. u. 632, cum praesertim eadem lex formam iudicii mutarit. Nam ante hanc legem consueto iudiciorum privatorum ordine cum actum esset de repetundis sacramento (v. 23) simpli (v. 58), secundum eam in eius locum successit aliquod sine sacramento iudicium et in duplum et publicum rei privatae, patrono petitori publice dato pecuniaque a condemnato publice exacta. Quare lex haec cum perferretur sortitione praetorum in annum proximum iam perfecta, primi anni iudicium praetori peregrino reliquit, deinceps vero inter reliquas sortes praetorias repetundarum quaestioni locum fecit.

XVIII. De nominibus describendis cf. v. 27. De praetoris iureiurando cf. Cic. pro Cluent. 43, 121: *praetores urbani . . . . . iurati debent optimum quemque in selectos iudices referre;* cuius loci admonuit Rudorffius.

XIX. Caput hoc difficillimum et apud Klenzium incredibiliter perturbatum puto me expedivisse. Iudex in eum annum factus praetor sit necesse est, cum in ius educi reus non possit nisi ad praetorem; neque hoc solo loco eo nomine magistratus maiores significantur. Si verum vidi, cavetur primum de nomine deferundo et calumniae iuramento. Deinde iudicii constitutio incipit ab editione eorum, qui cum reo necessitudine coniuncti sunt, ne accusator imprudens hos legat; nam ad rei necessarios v. 20 pertinere certum est, cum accusatoris v. 22 demum a iudicio arceantur. Neque adhuc de lectione lex loquitur neque omnia impedimenta legitima recenset, sed solas necessitudines; quod utrumque cur fecerit, iam patefactum est. Editio haec perficitur apud praetorem utroque praesente, die fortasse decimo post nominis delationem confirmaturque iureiurando. Deinde die vigesimo accusator edit iudices centum quos volet ex quadringentis quinquaginta, exceptis ipsius necessariis iisque, qui ex hac lege iudices legi vetantur (qui videntur rursus hic enumerari, ne admittatur qui inter lectionem CDLVirorum et iudicii huius constitutionem inhabilis factus est); praeterea ex eadem familia plus unum iudicem legere prohibetur. [Ne mirere iudicium constitui parilis numeri, tenendum est in sententiis ferendis eximi tam absentes quam qui negent sibi liquere (v. 49), itaque recte legis scriptorem

non attendisse ad consilii numerum legitimum.] Quod de repetundarum condemnatis cavetur ne iudicent, supervacaneum fere est, cum is, quocum repetundarum agitur, aut in senatu sit oporteat aut magistratus aut eorum alicuius filius; de quorum trium generum primo et secundo probabiliterque de tertio quoque ante perscriptum est, ne inter iudices legantur. [Potest opponi heredem rei repetundarum posse ex hac lege accusari et condemnari neque tamen esse inter eos qui a iudiciis arcentur; sed talia subtilia magis sunt quam probabilia.] Vere qui legem conscripsit, totum hoc caput videtur omisisse deestque in ea parte legis, quae est de albo iudicum conficiendo; hic postea, ni fallor, intrusit id homo male cautus. [Sed reprehendit graviter Rudorffius p. 450 quod hoc loco condemnatum ex hac lege admisi inter eos quos ex ea iudices edere non liceat, ratus eum omnino ex albo hoc iudicum excludi utpote publico iudicio condemnatum. At neque constat ex hac lege repetundarum damnatum propterea in albo esse non potuisse, et qui ineunte anno recte lectus est, potuit postea ex hac lege repetundarum condemnari, flagitantque eiusmodi supplementa quae supersunt reliquiae; nam quod proponit Rudorffius *qui captae pecuniae reus est, quod hac lege nomen delatum erit* pro eo quod requiritur: *cuius hac lege nomen delatum erit* inscita abundantia laborat.] Sequitur iusiurandum accusatoris simile eius, quod ante a reo exactum est. Denique die sexagesimo post nomen delatum reus ex centum illis iudicibus ab accusatore editis legit quinquaginta, quorum est iudicare. Quomodo plectantur reus accusatorque, nisi fecerint, quae ita lege facere iubentur, etsi non satis perspicitur, tamen si reus aut necessarios suos indicare aut iudices quinquaginta referre noluit, lex totam lectionem accusatoris arbitrio permittere videtur. Accusatori quid e contrario minata sit, periit in hiatu v. 24 medio quodque posui de nomine eximendo, intra coniecturam subsistit. Sed in universum omnia recte ita cohaerent: modo teneas *facito* ubivis ad praetorem referri, quod praesertim produnt verba *apud se* v. 23.

XXII. Ad legem Rubriam quod attinet, reperitur cum Rubrius quidam collega Ti. Gracchi in tribunatu a. u. 621 (Appian b. c. 1. 14) tum alter Rubrius C. Gracchi in tribunatu a. u. 631 collega legisque de III viris coloniae Carthaginem deducendae creandis, de qua dicetur ad legem agrariam, rogator; legis praeterea Rubriae Aciliae argumenti incerti mentio inicitur in senatus consulto de Astypalaeensibus a. u. c. 649 facto (C. I. Gr. 2485 v. 12). Tres viri illi quam apte hoc loco nominentur, quivis intelleget (cf. p. 56): nominantur autem extremo loco, quoniam magistratus sunt extra ordinem creati.

XXIII. Sacramento actum esse etiam apud praetorem peregrinum, id est lege agere potuisse peregrinos quoque confirmat Gaius 4, 31.

XXV. Cf. Cic. Verr. 2, 10, 27: *ut quisque te maxime cognatione affinitate necessitate aliqua attingebat.*

XXVII. Vide Cic. Verr. act. 1, 6, 17: *libelli nominum vestrorum consiliique huius in manibus erant omnium* coll. schol. ad h. l. p. 131. 392. 398 Orell., item quae supra v. 18 scripta sunt.

XXVIII. Quamquam quae Klenzius de vadibus in hunc locum intulit perperam cum posuisse facile intellegitur, tamen quid subsit non adsequor; quin ne hoc quidem scio quid sit *pecuniam ex hac lege capere.* Sane hoc loco inter iudicium constitutum et sententiam de exule ferendam nullo modo agi potuit de praemiis accusatoris: accedit, quod in repetundarum causa accusatori pecuniam praemii loco esse datam nemo adhuc fando audivit. [Rudorffius neutro argumento satis ponderato hoc loco agi voluit de indicum praemio et quadruplatorum; sed quem solum attulit locum Ciceronis divin. in Caec. 11, 34, is ad summum probat indici ex lege Cornelia hoc datum esse, ipse ne condemnaretur, nequaquam pecuniam ei esse promissam.] Praecessit fortasse poena aliqua adversus iudicem, qui nescio quid contra hanc legem fecerit; quam cum lex indici totam partemve attribuit, propter invidiam cum ea re coniunctam simul prospexit, ne ea res indici fraudi esset. Non solos senatores esse eos, qui ex hac lege pecuniam capiant, hoc ostendit, quod lex cavet ne equus ei adimatur, qui ex h. l. pecuniam ceperit; nam post a. 625 senator equum publicum amplius habere non potuit. — Caput quod incipit a verbis *[sc]ripta sient* pertinuit fortasse ad pecunias ex hac lege solutas in tabulas publicas referendas.

XXIX. Puto quod fuit in aere me adsecutum esse, quod Klenzio certe non successit; scilicet tractari exilicam (Fest. ep. p. 81) mortuive causam.

XXXI. [Inquisitionem extra Italiam patet non permitti nisi ubi sunt magistratus iure dicundo; id ipsum num ad Italiam perveniat, dubito, nam nihil si interesset inter inquisitionem Italicam et provincialem, lex iussisset simpliciter *conquaeri in oppedeis f. c. ubei ioure deicundo praeesse solent.* Fortasse in Italia inquiri potuit ubicumque res agebantur et nundinae fiebant.]

XXXII. Auditionem hanc eorum, quae iudices inquirentis interesse censeant, rettulerim ad decretum quo inquisitio ordinatur edito die, loco, numero testium.

XXXIII. Causidicum a testimonio excusari confirmat Cic. Verr. 2, 8, 24 de Hortensio: *te mihi testem in hoc crimine eripuit legis*

exceptio. — De libertis conferenda, quae ex lege Iulia de vi afferuntur in Coll. 9, 2, 2 et Dig. 22, 5, 3, 5: *in reum testimonium dicere ne liceto qui se ab eo parenteve eius libertove cuius eorum* (*lib. c. eor.* om. Dig.) *liberaverit.* Liberti libertum recipere spatium prohibet. Ceterum testimonii interdictiones vel excusationes eas, quarum in legis reliquiis nullum vestigium superest, consulto non restitui. Multa quae sequitur cum inquisitione testiumque denuntiatione coniuncta fuerit necesse est.

XXXIV. Postea iudicum numerum auctum esse ostendit Val. Max. 8, 1, damn. 10 de iudicio repetundarum a. u. c. 700 adversus M. Scaurum suscepto: *cum accusator diceret lege* (Iulia scilicet) *sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere.* — In hiatu inter *b* 34 et *a* 31 quae perierint, indicat ex parte Cic. pro Flacco 9, 21: (litteras) *triduo lex ad praetorem deferri, iudicum signis obsignari iubet.*

XXXV. Interrogatio praetoris quo pertineat, nescio; certe neque interrogatio rei in iure significatur neque testium interrogatio. Agitur potius hic de iudicii die edenda citandisque vel excusandis partibus iudicibusque.

XXXVIII. Iudicem disputare quod lex vetat, explicabitur locis Taciti (ann. 1, 74) Tiberium iudicem *rupta taciturnitate* proclamasse. Plinii (ep. 2, 11, 9) Titium Cerealem iudicem *senatorio iure* aliquid postulasse (quoniam senatori sententiam dicere licet, non licet iudici), maxime Asconii in Milon. p. 40, quem adhuc male interpretati sunt, legem Pompeiam iussisse *ut prius quam causa ageretur testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices confirmarent.* Scilicet cum ante hanc legem non licuisset iudici si quid de ea re quae agebatur ipse comperisset in iudicio proferre, in causa Clodiana invitabatur ut etiam testimonium si posset diceret. [Ceterum cave huc referas locos quos Rudorffius attulit Gellii 14, 10, 16 et Taciti dial. 39, pertinentes ad iudicem unum iudicii privati.]

XXXIX. Iudicium proferre et referre quid sit, explanant Papinianus (Dig. 4, 8, 33): *arbiter ita sumptus ex compromisso, ut et diem proferre possit, hoc quidem facere potest, referre autem contra dicentibus litigatoribus non potest,* et Festus (p. 289): *referri diem prodictam, id est anteferri religiosum est.* [Diei relati exemplum causa Verrina praebet; scilicet cum Cicero inquirendi causa C et X dies postulasset (Verr. l. 1, 11, 30), itinere quinquaginta diebus absoluto (act. 1, 4, 6) effecit, ut Verres prius causam dicere cogeretur quam putarat. Quod Rudorffius distinguit inter diem relatum et relatum nomen (nam verba *nomen referre* supersunt in aere v. 40) et hoc

intellegit de iteranda causa iudicata, parum respondet ei loco quo haec leguntur et superstructum est exilibus reliquiis. Sane quid in lege de ea re scriptum fuerit, nemo puto ex iis quae supersunt adsequetur.]

XLII. *Causam non novisse* est excusationem non admittere. Apud Ciceronem de leg. 1, 4, 11 Marco aetatis vacationem speranti respondet Atticus: *atqui vereor ne istam causam nemo noscat;* item ait ad fam. 4, 4, 1: *illam partem excusationis . . . nec nosco nec probo.* cf. Plaut. True. 229. Qui de his excusationibus, iudicum opinor ne iudicent, quaerit et iudicat, non ipse praetor est (v. 43), sed ex iudicibus aliquis cui eam rem praetor mandaverit. Quo probato Rudorffius bene adiecit iudicem hunc *rem quaerere,* praetorem *quaerere de re.* Sententiam tamen de multa suprema praetor videtur pronuntiasse. Diligentius haec persequi nolui, ne exilibus reliquiis sub specie supplementorum vis fieret.

XLIII. Iudicium intellege non in causa repetundarum sed de iudice, cuius excusatio reiciatur.

XLIV. Ex secundo hoc iudicum iureiurando (cf. v. 36) nihil superest nisi quod se obligant non divulgaturos esse, utram sententiam ipsi aliive iudices tulerint, condemnatoriam scilicet absolutoriamve.

XLV. Multa bis commemoratur, primum v. 42. 43 ante iusiurandum a iudicibus ante quam in consilium eant praestandum, iterum v. 45 ante in consilium itionem. De eadem re utraque videtur inrogari, scilicet iudex si sine causa a iudicio afuerit vel, quod eodem redit, si iurare noluerit; hoc videntur differre, quod priore loco agitur de sessionibus praeparatoriis, posteriore de sessione ea, qua in consilium itur. Quam ob rem hoc casu multam supremam (scilicet ovium duarum boumque triginta adaeratorum) pronuntiatam esse, illo leviores consentaneum est.

XLVI. Quaestor hoc loco cur nominetur non liquet; de multa exigenda vix ibi perscriptum fuit, sed potius de nominibus iudicum excusatorum vel non excusatorum ad aerarium deferendis (cf. ad v. 15).

XLVII. [Quod supplevi in ed. priore *pl]ur[imis lique]re* quamquam aliis probavi, iam video male scriptum esse; neque enim agitur hoc loco de maiore parte. Praeterea quae sequuntur, ampliationem requirunt tum quoque, cum iudicum pars tertia maior liquere sibi negant. Immo cum ex quinquaginta iudicibus eorum qui aderunt duae partes dixerint sibi rem liquere, semotis iis qui liquere sibi negent (v. 49), reliqui iubentur aut absolvere aut condemnare: contra

ubi eorum qui aderunt plures quam tertia pars liquere sibi negarint, causa ampliatur: id quamquam aliunde non confirmatur, et rationem habere videtur et a legis reliquiis flagitari.]

XLVIII. Recte monuit Rudorffius *amplius bis* iungendum esse, itaque supplementa editionis prioris immutavi. Ipsa ampliandi potestas iudicibus non videtur imminuta esse, sed post secundam ampliationem a tertia inde actione aut iudicandum iis fuisse aut multa subeunda. Ceterum multam hanc legis Aciliae, ubi plus semel iudices ampliarint, viam aperuisse apparet ad comperendinationem legis Serviliae, qua post ampliationem legitimam denuo ampliare iudices prohibentur.

L. Iudices qui forte absunt cum in consilium itur, arcessuntur per viatorem (Cic. pro Cluent. 27, 74), sed tamen, ubi perfici non potest ut arcessantur omnes, iudicant qui adsunt.

LV. Monente Rudorffio *fecisse videri* formulam hoc quoque loco recepi.

LVI. *Sanctio legum,* Papinianus (Dig. 48, 19, 41) ait, *novissime certam poenam irrogat his qui praeceptis legis non obtemperaverint:* qualem habemus in lege municipali Tudertina (CIL. XI, 4612; Bruns fontes 6 p. 155): *[Si quis quid adversus hanc rogationem egerit feceri]t sciens dolo malo, ei multa esto (sestertium decies).* Quam poenam Papinianus l. c. recte negat *ad eas species pertinere, quibus ipsa lege poena specialiter addita est.* Itaque huius repetundarum legis sanctio non pertinuit ad repetundas ipsas, sed ad alia omnia, exempli causa ad clausulam derogatoriam eam quam Festus (v. satura p. 314) affert: *neve per saturam abrogato aut derogato.* Potuit igitur cum magistratu, qui et in provincia contra hanc legem pecuniam cepisse et eam legem per saturam abrogare voluisse dicebatur, recte ex hac lege bis agi.

LVII. De toto argumento conferendus praesertim locus Cic. pro Rab. Post. 4, 8: *sunt lites aestimatae A. Gabinio nec praedes dati nec ex bonis populo universa pecunia exacta est.* Cf. ibidem 13, 37: *si aut praedes dedisset Gabinius aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset;* Plin. ep. 7, 33, 4: *(senatus) damnato Massa censuerat, ut bona eius publice custodirentur.* Iudicii vere publici ordo, secundum quem damnatus nisi praedes dat in vincula conicitur (cf. Liv. 38, 58), in repetundarum iudiciis quasi publicis numquam videtur obtinuisse. — Q · non *quaestor* est, sed *quaestori;* cf. legis Bantinae v. 11: *[praedes] ad q. urb. det aut bona eius poplice possideantur facito.* — *Bona facito possideantur,* id est *praetor facito ut quaestor possideat,* cf. Liv. 4, 15, 8 de dictatore: *iubere quaestores vendere ea bona atque in publicum redigere.*

38, 60: *in bona L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit.* In sequentibus pecuniae exactionem iudici, non quaestori attribui propter v. 62, quamquam de lectione ibi non satis constat.

LX. Quae restitui veniunt ex lege de Gallia Cisalpina 2, 13: *quei eam suo nomine petierit quoive eam d(arei) o(portebit).* Quod quaestor solvere iubetur sive praedes acceperit sive ex bonis venditis tantum redactum sit quanti lites aestimatae erunt, probabunt ius praediatorium qui norunt; praedum enim datio pro solutione est.

LXII. Tributus fit cum pecunia danda vel accipienda in plures pro portione dividitur: ita tributum facit populus qui a fundorum dominis aliave certa ex causa pro portione pecuniam exigit; ita mercibus in mare eiectis ex lege Rhodia tributus fit; ita denique servi negotiatoris bona inter eos, qui eius negotiationis causa servo crediderunt, dominus pro rata tribuere compellitur ita, ut ei, quem in tributum non vocavit, tributoria teneatur. Id ad hanc speciem, ubi rei bona inter creditores ex causa repetundarum pro portione a populo distribuuntur, proxime accedit.

LXIII. *Servare tributum* lex dicit ut dicunt iure consulti *idem servatur, in usu servatur.* [Supplemento quod dedi *[de trib]uto servando* Rudorffius opposuit magis requiri *tributu* propterea quod *tributus* casu primo est v. 64. 66, nec spatium ita satis expleri. At recte expletur, quoniam spatii quoque ad caput significandum vacui relicti Rudorffius rationem habere debuit (ad quod alibi quoque parum attendit). Supplementum quod proposuit *[de tempore a iudice stat]uto servando* et inscitum est et nimium. Heteroclita autem inter secundam et quartam declinationem alternantia vulgo offenduntur nec magis nominativus *tributus* excludit ablativum *tributo* quam dativus *senatui* genetivum *senati.*]

LXIV. De servanda pecunia iis, qui ad tributum ipsum non adfuerint, compara quae in tributaria actione observat Paulus (Dig. 14, 4, 6): *haec actio . . . facit . . . aequalem condicionem quandoque agentium.*

LXV. [Ut *proscribere* (v. 66) est palam proponere, ita *prodicere* cum hoc loco proscribendo respondeat, sine dubio non est, ut alibi usurpatur, diem prorogare, sed simpliciter palam edicere; nec quicquam hoc capite videtur cautum fuisse, nisi ut tributum futurum praetor primum per praeconem, deinde per scriptum recte edicat.]

LXVII. Praedibus a repetundarum condemnato datis quod creditoribus repetundarum iam nec reus debet nec praedes, sed populus, causa videtur fuisse, propter quam caput de pecunia, quam populus solverit soluturusve sit, a praedibus populi nomine exigenda post

capita demum de pecunia ex condemnati bonis creditoribus solvenda collocatur. Pecuniam, pro qua praedes dati sunt, qui praedes dedit solvere quidem potest, sed non oportet eum eam dare.

LXIX. Quae praecedunt, praetorem maxime spectant; duo capita hoc et quod proxime sequitur quaestorem ea facere iubent, quae uti quaestor faciat praetorem curare lex antea iussit. — Peculatum in pecuniam privatam in publico depositam cadere significat etiam Cicero de leg. 2, 9, 22 (cf. 16, 41): *sacrum sacrove commendatum qui cleperit rapsitque, parricida esto.* — De solutione extraordinaria cf. Cic. pro Font. 3, 4 de quaestore urbano: *extra ordinemne pecunia est data? immo vero nummus nullus sine litteris multis commotus est.*

LXXI. De iudicio dimittendo videndus Cicero pro Cluent. 27, 74: (tribunus plebis) *e publico iudicio ad privatum Staieni iudicium profectus est et illud pro potestate dimitti iussit* (coll. Val. Max. 8, 1, absol. 3). Senatu vocato iudicia dimitti solebant; vide senatus auctoritatem apud Cic. ad fam. 8, 8, 5: *cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in CCC iudicibus essent, eos* (cod. *ses*) *adducere liceret.* Unde postea, cum Augustus legitimos dies senatus vocandi instituit, hos omnes nefastos esse iussit (Dio. 55, 3: cf. liber meus de chronol. Rom. p. 237). Similiter comitiis indictis iudicia solita esse dimitti ostendunt quae sequuntur; *centurias intro vocari* Livius dixit 10, 13, 11.

LXXII. Legem per saturam latam ipsaque eius causa indicta comitia nulla esse cavit quidem denuo lex Caecilia Didia a. 655 (Cic. de domo 20, 53), sed iam ante idem obtinuisse declarant verba orationis T. Annii Lusci in Ti. Gracchum (Fest. v. satura p. 314): *imperium quod plebes per saturam dederat id abrogatum est.* — Verba IVDEX · DEINCEPS · FACIAT et spatium ante notatum et coniunctivi usus et ipsum argumentum rubricam esse evincunt. [Ea quo pertineat docuit Rudorffius allata glossa Fest. p. 75: *deincipem antiqui dicebant proximo quemque captum ut principem primum captum* (cf. deinceps p. 71); sed pro eo quod posuit *pr[incipe defuncto]* malui dare *pr[incipe cessante]* et adieci quaestorem, qui sub iudicis vocabulo non recte comprehenditur et in praescriptione quoque locum habere debuit.]

LXXIII. [Quam posueram capitis inscriptionem *de rebus ante iudicatis factisve* monente Rudorffio mutavi; nam de rebus ante factis agitur v. 59. At non recte idem sibi persuasit adversus eum qui lege Calpurnia Iuniave absolutus esset ex hac lege tum agi potuisse, si absolutus esset post legem perlatam.]

LXXIV. LXXV. Locum hunc, quem fere intactum reliquerat Klenzius, in quibusdam recte deinde constituit Rudorffius (*Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 12, 139; cf. Zumptius de leg. rep. p. 13) neque tamen plane expedivit. Ante omnia attendendum est ad geminatum locum v. 81. 82, unde cum alia supplementa certa petuntur tum quod est v. 82 *t ante quam ea res* ante *erit* v. 75 in. ut inseratur flagitant: item inde apparet inter *res* et *erit* non deesse nisi vocabulum quinque fere litterarum. Mihi videtur hoc loco primum hoc cautum esse, ne de eadem re bis agatur, deinde praescriptum, ne ad praeterita lex trahatur. Unde simul apparet, qui vel post hanc legem rogatam ex lege Iunia adeoque ex lege Calpurnia iudicium fieri potuerit, quod fieri potuisse indicat vocabulum *fuerit* ad *fuit* adiectum. Nimirum a quo pecuniae ante legem Iuniam latam captae repetebantur, eius nomen non desiit deferri posse ex lege Calpurnia, similiterque qui post latam Iuniam ante hanc legem rogatam idem commiserat, lege Iunia interrogandus fuit; eodemque redit quod supra scriptum est v. 59 de pecunia ante hanc legem rogatam capta litem simpli aestimandam esse. Neque ea simplex sane et facilis huius loci explicatio viros doctos fugisset, nisi iudicium ex legibus Calpurnia Iuniaque factum a iudicio quod ex hac lege fit plus iusto differre opinati essent. At cum illud privatum fuit sacramento in personam, tum hoc item mansit quodammodo recuperatorium et privatum, ut exempli causa qui et ante hanc legem et post eam pecunias cepisset, simul duabus legibus Iunia et hac nova interrogari et posset et deberet, ex lege Iunia scilicet simpli, ex hac dupli litibus aestimandis. Nam quod quis opponet ita repetundarum crimina ante hanc legem admissa poenae quidem subiacere legis antiquae, sed in iudicii forma ex lege nova pendere, in ea re sane idem tum obtinuit quod nunc similiter observamus, ut in iudicio ordinando longe facilius leges ad praeterita trahamus quam in poenis constituendis.

LXXV. Respicit lex quae leguntur v. 49 de iudicio: *ubi duae partes iudicum quei ader[unt]* cet. Rem confirmat Caelii (in epist. Ciceronis ad fam. 8, 8, 2) narratio M. Servilium accusasse C. Claudium praetorem a. 698, ut videtur repetundarum, eumque condemnasse litesque ei aestimasse; deinde condemnati filium *indicasse pecuniam ex bonis patris pervenisse ad Servilium praevaricationisque causa depositum* HS. $\overline{LXXXI}$, *et misisse in consilium eosdem illos qui lites aestimarant iudices.* De duabus rebus diversis hi iudices in consilium iverunt, tam de ea, quo ex bonis condemnati qui solvendo non esset pecunia pervenisset (quo pertinet praetoris sententia: *non*

redigam), quam de praevaricatione accusatoris. Ceterum quamquam proprie nemo praevaricatur nisi in iudicio publico qui accusat (Dig. 47, 15, 1, 1), tamen praevaricationem olim latius obtinuisse neque a iudicio privato vel quasi publico plane alienam fuisse ostendit lex agraria v. 38.

LXXVI. Poenam accusatoris praevaricati sequuntur praemia delatoris probabilis. Caput de civitate danda, quod post Klenzium tractavit Huschkius in Richteri annalibus 1845 p. 625 et in libro de Gaio p. 5, conferendum est cum iis quae narrat Cicero (pro Balb. 23. 24) Tiburtes quosdam (scilicet ante legem Iuliam a. 664) damnatis quos accusarant senatoribus Romanis ad civitatem pervenisse, lege Servilia etiam hanc Latinis, id est foederatis, viam ad civitatem patuisse. Id legem Serviliam solis Latinis dedisse recte intellexit Madvigius (opusc. 1, 273); haec lex antiquior permittit, ut civis fieri possit quicumque non civis reum repetundarum condemnarit. Apparet igitur in hac quoque re viam ad civitatem labente republica magis magisque coartatam esse et ius olim peregrinis omnibus permissum post legem Serviliam non remansisse nisi Latinis.

LXXVII. Cum accusatore liberos etiam nepotesque eius ex filio cives factos esse ex legis reliquiis intellegitur; uxores, quas admiserunt Klenzius Huschkiusque, equidem omisi, cum in privilegiis huiusmodi veteranorum praeter ipsos soli liberi posterique eorum civitate donentur et ad horum similitudinem haec accusatorum praemia rectius referantur quam ad privilegia eorum qui anniculi causam probarint vel magistratum in civitate Latina obtinuerint. — Deinde miro errore Huschkius proposuit *[du]m ciei filio gnatei s(unt)*, et parum Latine et sententia inepta et non visa adhuc *sunt* vocabuli nota, quamquam *gnateis* esse *nati* postea ipse fere intellexit. — Tribum accusatoris lege eandem fuisse, in qua accusatus censitus esset, de repetundarum iudicio praeterea non traditur, sed satis ex reliquiis elucere videtur et defenditur eo, quod qui iudicio publico vincit, eius *trahere spolia* dicitur (Cic. pro Balb. 23, 54) itaque legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consecutos esse complures Balbumque hac ratione legis de ambitu praemio in tribum Clustuminam pervenisse Cicero (pro Balb. 25, 57) narrat. — De *censento*, quod valet *censentor*, dixit Madvigius opusc. 2, 241. — De vacandi vocabulo postquam nuper viri docti complures egerunt, praesertim Bergkius *Zeitschrift für Alterthumswiss.* 1848 p. 1127 et Fleckeisenus in Iahnii annalibus vol. 60 p. 255 et Buechelerus in mus. Rhen. nov. 13, 583, iam fere decisum videtur antiquos *vocare* potius scripsisse quam *vacare*. Nam ut in lege hac aetatis Gracchanae v. 77. 78

scriptum est *militiae eis vocatio esto,* ita lege Caesaris municipali quae dicitur v. 93. 103 a militia liberatur cui *vocatio est rei militaris legibus;* denique in laudatione funebri aetatis Augustae (Orell. 4859 = C. I. L. VI. 1527) legitur *vocuamque [do]mum alterius fecunditati t[radidisti liberis replendam]* et in titulo Brixiano (C. I. L. V, 4148) sic in lapide est: *[pr]opter magisterium pagi [e]t vocationem in perpetu[um].* Contra *in vacuom vendendis* est in lege Malacitana c. 64. quae Domitiano imperante scripta est. Item apud auctores vetustiores huius scripturae vestigia boni libri subinde servaverunt, ut apud Plautum in Trin. 11 *vocivas auris* enotatur ex Ambrosiano, in Casinae prol. 29 *aures vocivae* ex Palatino. Similiter in Senecae ludo c. 11 quod est *rerum iudicandarum vocationem dari* recte tuetur Buechelerus, adlatis praeterea exemplis aliis plus minusve dubiis, de quibus hoc loco non est quod agamus. Certis enim illis testimoniis expensis iam relinquendam video, de qua antea cogitaveram, militiae vocationis cum vocandi vocabulo eam coniunctionem, ut quia necessaria militia vacet, ad voluntariam sit evocandus.

LXXVIII. ROGATO in hac formula praeter hunc locum legitur in lege Quinctia (apud Frontin. de aquis c. 129) bis, nam altero loco quod codex habet *rogatio,* omnino mutandum est in *rogato.* Praeterea ROGATVR scribitur in lege Antonia de Termessibus 2, 30, ROGATVM apud Probum 3. 13 secundum optimum Celtis exemplum et apud Ciceronem pro Caec. 33. 95 (cf. de domo 40, 106). At *rogato* omnino retinendum est ut supra v. 77 *censento;* talia qui emendaverunt, obliti sunt, qua de re optime Madvigius monuit, saepe veteres Latinos in huiusmodi imperativis passivi notam abiecisse. Contra *rogatum* librariis videtur deberi, qui quid sit *rogato* non magis quam eorum qui nunc sunt grammaticorum plerique adsequerentur; *rogatur* qui scripserunt, servata sententia antiqui imperativi insolentiam evitaverunt. — Caput quod sequitur *de provocation[e vocation]eque danda* pertinet ad Latinos; dictatores enim praetores aediles, quibus magistratus non Romanos significari Klenzius iam observavit, proprie Latinorum magistratus sunt, ea ex causa lege excepti, quod cum hoc loco praemia concedantur Latinis non civibus Romanis, hi civitatem iam adsecuti sunt gesto magistratu curuli. Capite proximo autem quod cavetur de civitate Latinis danda referendum est ad eos Latinos qui cives Romani ex hac lege fieri noluerint. Sane beneficium illud cum invidia coniunctum (vide Cic. pro Balbo l. c.) invito obtrudi non debuit eoque reiecto qui reum condemnarit consentaneum est ad alia praemia ex eadem lege pervenisse, quae iam enumerantur. Inter quae primum locum merito obtinet provocatio, pro

qua Zumptius maior de leg. rep. p. 24 vacationem reposuit temere: omnino enim huic loco recte intellecto aptum est ius lege Valeria tribusque Porciis constitutum, quo civis Romanus a magistratus virgis securibusque domi militiaeque defendebatur. Scilicet qui reum condemnarat, etsi civitatem Romanam accipere nollet, eum exinde tamquam civis Romanus esset capite tergoque tutum esse lex iubet: quod ius militanti maxime utile fuisse intellegitur (cf. Sallust. Iug. 69, 4) nec cuivis accusatori a lege tribuitur ut civitas ipsa, sed soli Latino a Romani iuris communione iam ea aetate multo propius remoto quam inde remoti erant peregrini reliqui. Eadem plane ratione eademque fere aetate M. Fulvius Flaccus cos. a. 629 legem introduxit '*de civitate danda et de provocatione ad populum eorum qui civitatem mutare noluissent*' (Val. Max. 9, 5, 1; cf. App. b. c. 1, 21): tulit ille, ut socii qui vellent cives Romani fierent, qui nollent, iis tamen liceret provocare. Quod imperiti homines non intellectum corruperunt et pro *noluissent* codicis Bongarsiani unice probi perperam scripserunt edideruntque *voluissent*. Denique eodem pertinet lex Livia Drusi senioris eodem quo haec repetundarum anno lata, *ὅπως μηδὲ ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι* (Plut. C. Gracch. 9): nimirum Drusus ille cum C. Gracchum in populo captando omni genere illecebrarum quasi quadam licitatione vincere sibi proposuisset et ex C. Gracchi mente Latinis qui repetundarum reum condemnarant praemii loco provocationem dari videret, eandem lege lata Latinis omnibus concessit. — Magis incertum est quod sequitur de militia munereque publico administrando; nihil enim inde remanet nisi v. 79: *eius militiae munerisque poplici in su . . . . . itate;* fortasse eiusmodi homini optio permissa est, utrum in legione tamquam civis Romanus merere an militia sociali fungi, item tributo indicto utrum inter cives Romanos an ex suae civitatis formula pecuniam conferre mallet. [Provocationem quod Rudorffius reicit fabrum opinatus eam confudisse cum vacatione, non recte posuit: sed non displicet quod idem proposuit in praescriptione: *de provocation[e immunitat]eque danda*, deinde in lege ipsa: *ei filiis nepotibusque] eius militiae munerisque poplici in su[a quoiusque civ]itate [vacatio immunitasque esto].* Pro *immunitate*, cum eo vocabulo spatium, de quo hoc loco constat, brevius vocabulum postulat, ego posui *vocatione*.] Denique quod superest ex v. 86: *. . . i petetur, de ea re eius [optio e]sto utrum velit vel in sua ceiritat[e] . . . .*, conferendum est cum senatus consulti de Asclepiade v. 2 sq., ubi ex Graeca versione Latina explentur: *[quae ei . . . ab alio persequentur seive quid] ab eis . . . . [. . . . alici persequentur,*

utei eis . . . . ius potestasque sit seive domi legibus sueis velint iudi]cio certare seive apud magistratu[s nostros Italicis iudicibus seive in civitate libera . . . . / . . . . ubei velint utei ibei iudicium de eis rebus fiat.|

LXXXV. Explicat hunc locum Ascon. in Milon. p. 54 et ipse lacer: *Damnatum opera maxima* [l. *maxime*] *Ap. Claudii [Milonem] pronuntiatum est.* Addidit opportune Rudorffius duos alios locos, alterum senatus consulti apud Frontinum (de aquis c. 127): *poena* ⅡS. *dena milia essent, ex quibus pars dimidia praemium accusatori daretur, cuius opera maxime convictus esset;* alterum legis Mamil. c. 5: *eiusque pecuniae partem dimidiam ei dato, cuius unius opera maxime is condemnatus erit.* Cf. Dig. 29, 5, 25, 2. Itaque praemia accusatoria, si plures accusabant, principi tantum eorum dabantur eaque de re ibatur in suffragium. — Rubricam sustuli propter spatii angustias.

Sero animadverti huius tabulae fragmentum exiguum adservatum aliquando apud Garruccium et ab eo editum in sylloge n. 2311 agnita origine, deinde repetitum a Bormanno C. I. L. XI, 364 *a* iterumque nuper inter commentationes Hirschfeldio traditas ad natalem sexagesimum celebrandum p. 432, ubi item usus est ectypo et duobus apographis eius repertis inter schedas Gamurrinianas. De origine non constat; Romae emptum esse adlatum ex Etruria Garruccius ait; ad ectypum adscriptiones repertae sunt duae, quarum altera ait fragmentum repertum esse Verucchii prope Ariminum a. 1873, altera Fossombrone a. 1874 et esse Florentiae apud marchionem Carolum Strozzi. Supersunt haec:

v VV · V
*scri*PTAM · ATI
? sorticulam COICITO · D
NEIQVID · L
/E · DEIN*Ceps*
ᶜENTEN*tia*

Superesse haec apparet ex parte media, COICITO vocabulum respondere ei quod supplevimus v. 52 *coniecito.* Ea quoque quae sequuntur quamquam reliquis inseri nequeunt, pergunt in argumento inde noto.

LEX AGRARIA[1]

a . u . c . DCXLIII, ante Chr. 111.

Quo loco et quo tempore huius legis laciniae prodierint et quinam ediderint, supra p. 1 sq. expositum est ad legem repetundarum in eiusdem tabulae parte altera perscriptam; nec restant de ea re nisi quae huius legis agrariae propria sunt. Primum locum inter ea obtinet liber A. A. F. Rudorffii insertus praeterea ephemeridum quae inscribuntur *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* volumini decimo: *das Ackergesetz des Sp. Thorius wiederhergestellt und erläutert.* Berol. 1839. 8; quo quod de repetundarum lege egregio acumine Klenzius perspexerat neque tamen ad alteram tabulae faciem converterat morte immatura praeventus, vices eius suscipiens Rudorffius ad agrariam legem restituendam item adhibuit itaque verum vidisse Klenzium denuo confirmavit. Quod de hoc libro mox iudicium tulit Huschkius (in Richteri et Schneideri *kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft* vol. 10 a. 1841 p. 579—620), novae recensionis instar est et bonae frugis plenae. Praeterea qui per hos annos de agrariis Romanorum motibus, de iure praediatorio aliisque huius legis argumentis egerunt, pro sua quisque parte ea proposuerunt, quibus hanc legem aut illustrarint aut certe tractarint; inter quos hoc loco unum nominabimus G. Zeissium (comm. de lege Thoria agraria. Vimar. 1841. 4 pp. 16), quamquam in lege interpretanda parum profecit, propterea quod profitetur aera Neapolitana se denuo excussisse.

Sequuntur exempla Mazochianum Ursinianumque lamminarum deperditarum (v. p. 2—6).

1) Repetita ex Corporis inscriptionum Latinarum volumine I n. 200 p. 75—106.

Tabulae A exemplum Mazochianum.

CAVIT
DICIO EVM QVOIVM
DESEPVE QVEIS DE PA · RE · AD SE
EATQVE QVOVE POSSESSIO INVITO MOR
M NON ABALIENAVERIT EXTRA EVM
ER LOCVS EDIFICIVM PRIVATVS SIET QVOVE MA
RAQVE EVM AGRVM QVEM VETVS POSSESOR EX LEGE PLEBEN
ASCET QVAEQVE EX EIS MINVS ANNVM GNATAE ERVNT POSTEAQVE
NAVIT ABALIENAVERITVE NEQVE HERES EIVS ABALIENAVIT ABALIENAV
ERET POSSESIONEM DEDIT ADSIGNAVIT REDDIDIT QVODQVE EIVS AGRI
VOI IS AGER VETERE PROVE VETERE POSSESORE DATVS ASSIGNATVSVE QVEIVE
IAS QVAE POST · H · L · ROG · PRIMAE ERVNT FACITO VTEI IS QVEI ITA VI EIECTVS I
VBLICANO PEQVNIA SCRIPTVRAM VECTIGALVE DET DAREVE DEBEAT NEIVE QVI
PASCETVR POPVLO AVT PVBLICANO DARE DEBEAT AGER LOCVS PVBLICVS POPVL
VM PVOBLICVM POPVLI ROMANEI DE SVA POSSESIONE VETVS POSSESOR PROVE VETERE POSSES
GRVM LOCVM QVEI AGER LOCVS EX LEGE PLEBEIVE · S · C · QVOD · C · SEMPRONI TI · F · TR · PL · ROG · EXS
COLONIAM DEDVXSIT ITA VTEI S S · EST AGRVM LOCVM AEDIFICIVM DEDIT REDDIDIT ADSIGNA
RA SCREIPTVS EST QVOD EIVS AGREI LOCI POST H · L · ROG · PVBLICVM POPVLEI ROMANEI ERIT EX
DEBETO EI QVEIQVOMQVE ID PVBLICVM FAVENDVM REDEMPTVM CONDVCTVMVE HABEBIT B
BVS VIEI LEGE PVBLICEIS PASTVM INPVLSVM ITINERIS CAVSA ERIT NEI QVID POPVLO NEIVE PVB
BLICO IN PRIVATVM COMMVTATVS ES DE EO AGRO SIREMPS LEX EXTO QVAN SET IS AGER · P MV
ER TERRAM ITALIAM · L · MVCIO · L · CALPVRNIO CO MERINT EAS FACIVNTO PATEANT VACVEQ · S
IVE · S · C · EXVE TEOEDERE LICVIT · SED FRAVDE SVA FACERE LICETO · QVOD EX · H · L · ITA VTEI S S ET
ET IN EVM IVDICIVM IVDICEM RECVPERATOREM EX · H · L DARE OPORTERET SEI QVIS DE EA RE I
E PRO COLONIA MOINICIPIOQVE PROVE MOINICIPIEIS FAVENTVB · QVIEI IN TRIENTABVLE
VE OPORTEBIT ID VTEI QVICQVID QVOIEIQVE ANTE · H · L · R · LICVIT ITA ET HABERE
ID DE EO ACRO LOCO AMBIGETVR COS · PR · QVEIQVOMQVE ERIT DE EA RE IVRIS
I CAVSA DECERNANT EIVS · H · L · H · R · QVOD IVDICIVM IVDEX RECVPERATO
G AGRO IOCO IDVS DEICITO NEIVE DECERNITO NEIVE IVDICIVM
EM FACITO QVO QVIS PRO AGRO MINVS ALITERVE SCRIPTVRAM V
VIBVS · L · QVEI CLASSIS · PRIMAE SIENT · XI · DATO INDE ALTERNOS DV
MVE FACTVM NONSIET SEI MAIOR PARS EORVM RECVPERATORV
RIT SEDVLOM VTEI IS QVEI IVDICATVS ERIT DARE OPORTA
POSSIDEBIT FAVETVR QVAM EX · H · L · LICEBIT EVM AGRVM QVEM
SI QVAE LEX PLEBEVE S·C·EST QVAE MAS·QVEM EX·H·L
DECERNERE OPORTEBIT SED FRAVDE SVA NEI IVRATO NEIVE
PL · S · C · QVOD · M · BAEBIVS TR · PL · IIIVIR · COLONIE DEDVCEND
EXTRA EVM AGRVM LOCVM QVEI AGER LOCVS IN EA CEN
OPORTEBITVE QVOD EIVS AGRI LOCEI QVOIEIQVE EMPTVM EST
QVEI AERARIVM PROVINCIAM OPTINEBIT IN TABLEIS
REM QVOD PRAES·FACTVS EST POPVLO OBLIGATVS EST
VEI AGER LOCVS IN AFRICA EST QVEI ROMAE PVBLICE
TVS ERIT QVOD EIVS AGRI LOCEI EXTRA TERRA ITALIA EST
VE AGRVM LOCVM QVEIQVOMQVE HABEBIT POSSIDEBIT
ER LOCVS IN AFRICA EST QVOD EIVS AGRI
FACTVS CREATVS VE ERIT EIICI
ROFITEBITVR COGNITO
IQVE IPSE N
AG

2 . . . IN · BIDVO · PROXSVMO · QVO . . .
3 . . . M · ADSIGNATVM · SIET · IDQVE · QVOM . . .
4 . . . CALPVRNI · COS · FACTA · SIET · QVOD · EIVS · POSTEA . . .
5 . . . MERO · SCRIPTVS · EST · DATVS · ADSIGNATVSVE · EST · QVODVE EIVS . . .
6 . . . O · EDICTO · VTEI · IS · QVEI · AB · BONORVM · EMPTORE · MAGISTRO · CVRATO . . .
7 . . . CVM · NEIVE · EMPTVM · NEIVE · ADSIGNATVM · ESSE · NEIVE · FVISE · IVDICATO · Q . . .
8 . . . QVEI · AGER · PVBLICE · NON · VENIEIT · DARE · REDDERE · COMMVTAREVE · LICETO · II · VIR · Q . . .
9 . . . ET · NEIVE · VNIVS · HOMINIS · NOMINE · QVOI · EX · LEGE · RVBRIA · QVAE · FVIT · COLONO · EIVE · QVEI . . .
10 . . . MERO · SCRIPTVS · EST · AGRVM · QVEI · IN · AFRICA · EST · DARE · OPORTEBIT · LICVITVE · AMPLIVS · IVG · CC · IN . . .
11 . . . GENDAE IN · AFRICA · HOMINVM IN · COLONIAM · COLONIASVE · DEDVCI · OPORTVIT · LICVITVE · II · VIR · QVEI . . .
12 . . . S · AGRI · EX · H · L · ADIVDICARI · LICEBIT · QVOD · ITA · COMPERIETVR · ID · EI · HEREDEIVE EIVS · ADSIGNATO · ESSE · IVDICATO . . .
13 . . . EST · AB · EO · QVOIVS · EIVS · AGRI · LOCEI · HOMINIS · PRIVATI · VENDITIO · FVIT · TVM · QVOM · IS EVM · AGRVM · LOCVM · EMIT · QVEI . . .
14 . . . NEQVE · HERES · EIVS · NEQVE · QVOI · IS · HERES · ERIT · ABALIENAVERIT · QVOD · EIVS · AGRI · LOCEI · ITA · PLANVM · FACTVM · ERIT · II · VIR · ITA . . .
15 . . . AGER · LOCVS · QVEI · EI · EMPTVS · FVERIT · PVBLICE · VENIET · TANTVNDEM · MODVM · AGRI · LOCEI · DE · EO · AGRO · LOCO · QVEI · AGER · LOCVSQVE . . .
16 . . . SCRIPTVM · EST · ESTO . . . . QVOI · COLONO · EIVE · QVEI · IN COLONEI · NVMERO · SCRIPTVS · EST · AGER · LOCVS · IN · EA · CENTVRIA · SVPCISIVON . . .
17 . . . VS · II · VIR · QVEI · EX · H · L · FACTVS · CREATVSVE · ERIT · REDDITO · QVOI · COLONO · EIVE · QVEI · IN · COLONEI · NVMERO · SCRIPTVS · EST · FVITVE . . .
18 . . . TO · QVOI · EIQVE · ITA · REDDIDERIT · EI · ADSIGNATVM · FVISSE · IVDICATO · QVOI · AGRVM · DE · EO · AGRO · QVEI · IN · AFRICA · EST · QVEI · COLONO · C . . .
19 . . . VS · PROCVRATORVE · EIVS · HEREDIVE QVOIVS · EORVM · DE · EO · AGRO · QVEI · AGER · IN · AFRICA · EST · PRO · EO · AGRO · II · VIR · REDDITO · QVOI · ITA · REDDIDERIT . . .
20 . . . NIAM · POPVLO · EX · EID · MART · QVAE · POSTEA · QVAM · VECTIGALIA · CONSISTENT · QVAE · POST · H · L · R · PRIMVM · CONSISTENT · PRIMAE · ERVNT · IN . . .
21 . . . NE · IN · H · L · S · E · IS · QVEI · PEQVNIAM · POPVLO · DARE · DEBEBIT · EI · QVEI · EO · NOMINE · AB · POPVLO · MERCASSITVR · OB · EAM · REM · PEQVNIAM · EI · NEI . . .
22 . . . QVAE · PRO · AGREIS · LOCEIS · AEDIFICIEIS · QVAI · S · S · S · POPVLO · DEBETVR · DEBEBITVRVE · ALITER · EXSIGATVR · ATQVE · VTEIQVE · IN · H · L · S · EST . . .
23 . . . QVAE · S · S · S · ARB · PR · QVEI · INTER · CEIVES · TVM · ROMAE · IOVS · DEICET · SATIS · SVPSIGNATO · PR · QVEI · INTER · CEIVES · ROMAE · IOVS · DEI . . .
24 . . . T · AGRVM · LOCVM · QVO · PRO · AGRO · LOCO · SATIS · EX · H · L · ARB · PR · SVPSIGNATVM · NON · ERIT · PEQVNIA · PRAESENTI · VENDITO · QVAE . . .
25 . . . EIS · LEIBEREIS · IN · AFRICA · SVNT · QVEI · EORVM · AMEICITIAM · POPVLI · ROMANEI · BELLO · POINICIO · PROXSVMO · MANSERVNT · QVEIVE · A . . .
26 . . . OCVS · PERFVGEIS · DATVS · ADSIGNATVSVE · EST · CEIVIS · ROMANEI · EX · H · L · FACTVM · ERIT · QVO · PRO · AGRO · LOCO · AGER · LOCVS . . .
27 . . . LEGE · LIVIA · FACTEI · CREATEIVE · SVNT · FVERVNTVE · EIS · HOMINIBVS · AGRVM · IN · AFRICA · DEDERVNT · ADSIGNAVERVNT . . .
28 . . . R · E · E · V · II · VIR · QVEI · EX · H · L · FACTVS · CREATVSVE · ERIT · IS · FACITO · IN · DIEBVS · CCC · L · PROXSVMEIS · QVIBVS · H . . .
29 . . . AMPSITANORVM · LEPTITANORVM · AQVILLITANORVM · VSALLITANORVM · TEVDALENSIVM · QVOM · IN · AMEICITIAM · P . . .
30 . . . QVAE · EVM · AGRVM · LOCVM · QVEM · II · VIR · EX · H · L · STIPENDIARIEIS · DEDERIT · ADSIGNAVERIT · QVOD · EIVS · EX · H · L · IN · EO . . .
31 . . . EVM · AGRVM · LOCVM · QVEM · X · VIREI · QVEI · EX · L · LIVIA · FACTEI · CREATEIVE · FVERVNT · VTICENSIBVS · RELIQVEI . . .
32 . . . POSSIDEBIT · FRVETVRVE · PRO · EO · AGRO · LOCO · NEIVE · VECTIGAL · NEIVE · DECVMAS · NEI · SCRIPTVRAM · QVOD · POST . . .
33 . . . M · AGRVM · LOCVM · CEIVIS · ROMANVS · EX · H · L · POSSIDEBIT · DARE · OPORTEBIT · PR · QVOIVS · ARB · PRO · AGRO · LOCO . . .
34 . . . SIT · QVOMINVS · EX · H · L · PRAEDIVM · QVEI · QVOMQVE · VELIT · SVPSIGNET · PEQVNIAMVE · SOLVAT · PRAESQVE · QVE . . .
35 . . . S · AGRI · AEDIFICI · LOCI · VECTIGALIBVSVE · PVBLICEIS · FRVENDEIS · LOCANDEIS · VENDVNDEIS · LEGEM · DEI . . .
36 . . . IN · EO · AGRO · PASCITO · QVAE · VECTIGALIA · IN · AFRICA · PVBLICA · POPVLI · ROMANI · SVNT · QVAE . . .
37 . . . PVBLICA · POPVLI · ROMANI · IN · AFRICA · SVNT · ERVNTVE · VECTIGALIA · FRVENDA · LOCABIT · VENDETVE . . .
38 . . . QVOD · IN · EIS · AGREIS · PEQVS . . . CETVR · SCRIPTVRAE · PECORIS · LEGE · DE
39 AGRO · ANTEQVAM · CARTAGO · CAPTA · EST · FVERVNT · EAE . . .
40 . . . NEIVE · REDDITO · NEIVE · ADIVDICATO · QVEI · EAM · REM . . .
41 . . . MODVS · AGRI · DE · EO · AGRO · QVEI · EIS · PVBLICE . . .
42 . . . OB · EVM · AGRVM · LOCVM · POSSESSIONEM . . .
43 . . . EA · RE · IN · IOVS · ADITVM · ERIT . . .
44 . . . DARI · REDDI · ADSIGNARI . . .
45 . . . S · FRVCTVS . . .

Legem hanc latam esse P. Cornelio Scipione Nasica L. Calpurnio Bestia consulibus a. u. c. 643 demonstravit Rudorffius (p. 43 sq.). Nam quae de Carthagine diruta provinciaque Africa ordinata ibi (v. 77. 81. 89) leguntur quaeque ad duorum Gracchorum rogationes agrarias spectant commemorationes consulum a. 621 L. Calpurnii P. Mucii (v. 1. 4. 13. 27. 28. 29. 33), legum Semproniarum C. Gracchi (v. 6. 22. 82). Rubriae de colonia Carthaginem deducenda (v. 59) ut mittamus, nominantur in lege censores a. 639/640 L. Caecilius Cn. Domitius (v. 28. 86. 88); Cn. Paperius cos. (v. 89), ubi intellegi consulem a. 641 propterea certum est, quod ad censorum a. 639 locationem quaedam addidit; M. Livius L. Calpurnius consules a. 642 (v. 29); denique consules a. 643 P. Cornelius L. *Calpurnius* (v. 95), nam huic loco qui intulit censorum a. 612 P. Cornelii L. Mummii nomina Kienius (*Bundesgenossenkrieg* p. 125) litteram superstitem postremam incaute neglexit. Lata est igitur lex post a. 642. E contrario censores quos supra posui a. 639 cum ita in lege nominentur, ut ante eam rogatam hos proximos censores fuisse appareat, lata sit necesse est antequam denuo censores crearentur, quod factum esse a. 645 ex tabulis Capitolinis constat. Quae cum ita sint, probabiliter Rudorffius ex verbis legis v. 95, ubi de a. 643 messe vindemiaque futura agitur, hoc ipso anno rogatam legem esse effecit; lataque ita est inter k. Ianuarias aestatemque eius anni promulgata omnino a tribunis plebis (plebiscitum enim esse dubium non est) more solito statim post initum magistratum a. d. IV idus Decembres anni 642, perrogata post kalendas Ianuarias a. 643. — Rogatorum nomina et in tabula perierunt neque aliunde suppleri possunt; nam qui unus ex auctoribus antiquis, qui quidem aetatem tulerint, legem hanc commemorat Appianus, nomen latoris non adscripsit. Sic enim ille in loco de legibus agrariis post Gracchos perlatis primario et fere unico b. c. 1, 27: *Καὶ ἡ στάσις ἡ τοῦ δευτέρου Γράκχου ἐς τάδε ἔληγε. νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε. καὶ εὐθὺς οἱ πλούσιοι παρὰ τῶν πενήτων ἐωνοῦντο, ἢ ταῖσδε ταῖς προφάσεσιν ἐβιάζοντο. καὶ περιῆν ἐς χεῖρον ἔτι τοῖς πένησι, μέχρι Σπόριος Θόριος* (*Βόριος* codices; emendavit Pighius ann. 3 p. 136) *δημαρχῶν ἐσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία, διὰ τὰς διανομάς· ὄφελος δ' οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν. Ἅπαξ δὲ τοῖς σοφίσμασι τοῖσδε τοῦ Γρακχείου νόμου παραλυθέντος, ἀρίστου καὶ ὠφελιμωτάτου, εἰ ἐδύνατο πραχθῆναι, γενομένου, καὶ τοὺς φόρους οὐ*

πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος· καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει. ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον ὁμοῦ πολιτῶν τε καὶ στρατιωτῶν, καὶ γῆς προσόδου καὶ διανομῶν, καὶ νομῶν (sic Schweighaeuser: νόμων codices). πεντεκαίδεκα μάλιστα ἔτεσιν ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας, ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες. Quem locum postquam in alia scriptione (*Berichte der sächs. Gesellschaft, phil. Classe* 2, 89 sq.) data opera enarravi meamque interpretationem cum aliis tum ipsi Rudorffio probavi (*Rechtsgesch.* 1. § 16), iam graviora et ad hanc legem recte intellegendam necessaria paucis complectar. Tres leges sunt, quas post C. Gracchum a. 633 caesum de agro publico latas esse Appianus tradit. Prima, quae possessoribus Gracchanis ut agrum venderent permisit, alibi non memoratur et a quo quove tempore rogata sit, ignoratur; videtur tamen lata esse vel ipso a. 633 vel paulo post. Altera lex sola est, cuius rogatorem Appianus nominarit, nec sine causa. haec enim non tantum obrogavit in quibusdam legi Semproniae de agris dividendis adsignandis, sed eam sustulit totam; agitque de eadem lege Cicero etiam duobus locis. Primum de orat. 2, 70, 284 sic scribit: *nihil magis ridetur quam quod est praeter expectationem, cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii maioris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent: 'non est', inquit, 'Lucilii pecus illud, erratis' — defendere Lucilium videbatur — 'ego liberum puto esse; qua lubet pascitur'*. Appius 'maior ille' videtur esse pater fratrum Appii consulis a. 700 et Publii tribuni pl. a. 696, praetor ipse a. 665. consul 675, mortuus paulo post c. a. 678. Luciliana pascua eadem sunt, quae laudat Varro de re rust. 2, 1, 2: *C. Lucilii Hirri (Hipri* cod.*) — nobiles pecuariae in Bruttiis habentur,* inque iisdem Hirri Varroniani, ni fallor, pater cognominis, notus tribunus plebi a. 701[1] armis se defendit proscriptus (Appian. b. c. 4, 43; cf. Drumann 3, 479, n. 24): Lucilius autem iste ab Appio irrisus non tribunus a. 701 mihi creditur fuisse, sed pater eius. Haec igitur res in senatu acta videtur inter a. fere 650 et 670. Maioris momenti alter locus Ciceronis est Brut. 36, 136: *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit.* Ciceronis utrumque testimonium ad eam legem referre, quam secundo loco posuit Appianus, itaque apud hunc pro Borio, quod nomen praeterea inauditum est, Thorium reponere plerique non dubitaverunt; idque

1) Lucilium hunc appellari, non Lucceium hodie constat. Cf. Nipperdey proleg. in Caes. p. 135.

eo vel maxime confirmatur, quod de argumento legis Appianus et Cicero plane idem referunt, modo huius verba recte interpretemur. Errant nimirum, qui quae Ciceroni vitiosa lex et inutilis dicitur de ipsa Thoria accipiunt optimatibus admodum exoptata; neque legem de vectigalibus latam Latine dicere possumus legem vectigalem. Immo hoc Cicero dixit Sp. Thorium vectigal agro publico imposuisse eoque imposito a vitiosa et inutili lege Sempronia agrum publicum liberavisse, quod ipsum Appianus refert Thoria lege vectigal pro agris publicis aerario solvi debuisse sublatis divisionibus a Gracchis institutis privatorumque possessionibus confirmatis. Quibus positis etiam de Thoriae legis anno decisum est. Nam quod ait Appianus plebem Romanam per annos fere quindecim post leges Sempronias iudiciorum de agro publico eventum expectasse, hoc omnino significat III viros agris dandis adsignandis iudicandis inde ab a. 621. quo eos institutos esse constat, per quindecim annos permansisse, id est sublatos esse eos anno fere 635 vel 636. Nam reiciendum est quod opinatur Huschkius (*osk. Sprachdenkm.* p. 61) III viros agris dandis adsignandis ad Sullam usque durasse; neque enim ullum eorum vestigium post a. 635 adhuc quisquam indagavit, et divisionem tollere, qui dividerent relinquere ineptum est. Sustulit autem eos lex Thoria, quippe quae agros dividi adsignari vetaret eosque possessoribus relinqui iuberet; quare Thoria lex anno c. 635 lata sit necesse est. Neque obstat, quod viginti vel triginta annis post de ea lege in senatu actum est; nam cum ea agri publici in Italia statum in universum stabiliverit et licet in quibusdam ei postea derogaretur, numquam tamen abrogata sit, in pecuariorum criminatione vel Sullana aetate de lege Thoria disputari potuit. Denique haec quam tenemus anni 643 lex agraria a lege Thoria a. 635 vel 636 diversa sit necesse est; quod illius quae supersunt capita confirmant, cum de divisione agrorum tollenda vectigalique imponendo ne verbum quidem ullum ibi reperiatur. — Tertia lex agraria ab Appiano breviter indicata ea est, quae vectigal a Sp. Thorio impositum sustulit; quod ipsum cum legis a. 643 vel primarium argumentum sit (v. 19. 20), hanc ab Appiano intellegi vix potest dubitari, quamquam neque annum posuit, sed tantum dixit non multum post a. 635 id factum esse, nec rogatorem nominavit, sed tribunum alium cum appellare satis habuit. Novimus ex huius anni collegio tribunicio duos solos C. Memmium hominem popularem adversariumque eius C. Baebium (Sallust. Iug. 32. 33), quorum quominus hic legem rogarit, nihil impedit. Certe qui legem tulit, eum cum optimatibus stetisse et argumentum declarat et ipse annus, quo adhuc inconcussa stetit

Gracchanis caedibus restituta nobilitatis potentia, quamquam mox per ipsum illum C. Memmium populares partes recreari coeptae sunt. Denique lex haec, quae agri publici in Italia vectigali sublato Africani agri partem venire iubet, partem cum aliis possessoribus confirmat tum regibus Numidiae 'liberis regis Massinissae' (v. 81), qui factum sit, ut eo ipso anno lata sit, quo Iugurthae bellum indictum est, eam rem in incerto relinquere praestat quam levibus coniectationibus indulgere. Hoc apparet venditionibus agri publici provincialis ex hac lege institutis rogatorem eius damnum resarcire voluisse, quod vectigalibus agri publici in Italia sublatis aerarium subiturum esset.

Legis partes tres sunt, quarum prima est de agro Italico v. 1—44?, altera de Africano v. 45?—96, tertia de Corinthiaco v. 96—105. Eandem de reliquis etiam provinciis egisse Rudorffius suspicatus est; at de duabus tantum provinciis legem cavisse videri propter numerum II virum infra ad v. 52 observavi. — Perdifficilem huius legis enarrationem ita ordinare visum est, ut singulis partibus de generibus agrorum, de quibus ea pars agit, commentarioli anteponerentur, deinde reliqua explicatio scholiorum loco sequeretur. Antea vero capita legis quamquam inscriptionibus destituuntur, tamen quantum eius fieri potuit breviter indicabuntur.

I. De agro publico p. R. in Italia.

v. 1. Praescriptio.

v. 2-7. Qui ager a III viris post a. 621 relictus datus adsignatusve privatus factus sit fiatve;

v. 8-10. et quo iure privatus sit possideaturque.

v. 11-13. Ager viasiis vicanis a III viris datus adsignatus eadem qua ante condicione sit, id est iure publicus, usu privatus.

v. 13. 14. Ager post a. 621 ante hanc legem rogatam occupatus agri colendi causa intra XXX iugera neque in loco excepto privatus sit.

v. 14. 15. In agro publico si qui compascendi privilegium habent, pecudes maiores X, minores . . . pascant sine scriptura.

v. 15. 16. Ante idus Martias post h. l. rogatam primas colonis Gracchanis possessio confirmetur.

v. 16. 17. Ante eandem diem reliquis hominibus, quibus ager a III viris relictus datus adsignatusve est, possessio confirmetur.

v. 18. Quibus possessio ita confirmanda est, si eam vi clam precario amiserint, ante eandem diem restituantur.

v. 19. 20. Agri, qui ita privatus factus est fitve, vectigal populo ne debeatur.

v. 20-23. Ager pro vetere possessione coloniae deducendae causa possessori adempta eidem redditus privatus sit.

v. 23. 24. Ante idus Martias post h. l. r. primas agri pro vetere possessione adempta ita redditi possessio confirmetur vel amissa restituatur.

v. 24. 25. Praeter agrum ita privatum factum quod publici superest neque publicis usibus servit locarive solet, ne occupetur, sed libere pecuariis permittatur, multa in eum qui contra fecerit constituta.

v. 25. 26. Quot pecudes in eo agro unicuique pascere liceat sine scriptura.

v. 26. In viis callibusve publicis cuivis pascere liceat itineris causa sine scriptura.

v. 26. 27. Ager ex publico in privatum commutatus optima lege privatus sit.

v. 27. Ager ex privato in publicum commutatus publicus sit eodem iure quo qui a. 621 publicus fuit.

v. 27. 28. Ager patritus privatus ubi in publicum datus est, qui pro eo ager redditur privato, pro patrito sit.

v. 28. Viae publicae in suo statu ut maneant.

v. 29. Quod Latinis peregrinisque in agro publico p. R. a. 642 facere licuit neque hac lege civibus interdictum est, item illis deinceps facere liceat.

v. 29. 30. Iudicium de Latino reddatur ita ut redditur de cive Romano.

v. 31. 32. Agri iure populi, usu vel coloniarum municipiorumve vel, ut trientabula, privatorum, eodem quo ante h. l. r. iure sint.

v. 33. 34. Quinam ager a. 621 publicus postea ante h. l. rog. vel ex h. l. privatus factus sit, consules praetoresve ante idus Mart. primas iudicent.

v. 35. 36. De agro publico deinceps consules praetores censores iudicent.

v. 36-39. De ea pecunia, quae propter agrum publicum publicano ex h. l. debebitur, consules proconsules praetores propraetores iudicent; item iudicium quomodo ordinetur, quomodo iudicetur iudicatumque solvatur.

v. 40. 41. Qui ut huic legi satisfiat in alias leges contrarias non iuraverit, ei ea res fraudi ne sit.

v. 41. 42. Qui ut huic legi satis fiat aliis legibus non obtemperaverit, ei ea res fraudi ne sit.

v. 43. 44. De colonia Sipontina?

II. De agro publico P. R. in Africa.

v. 45-50. Ager publicus p. R. in Africa exceptis quibusdam partibus pretio vero, vectigali praeterea sed iuris tantum testandi causa imposito, ad certam diem Romae a magistratibus vendatur; item in universum de satis dando pro pretio praedibus praediisque et de pecunia solvenda.

v. 50-52. De eodem agro possidendo?

v. 52-58. Agrum in Africa qui a populo Romano aut coloni habuerunt aut ex hac lege compararunt, eum domini apud II virum ex h. l. factum in Africa profiteantur.

v. 58-61. Iis colonis successoribusve eorum agrum quem iure acceperunt II vir confirmet, ut sit pleno iure privatus.

v. 61-64. Item iis emptoribus successoribusve eorum agrum quem iure emerunt II vir attribuat, ut sit privatus vectigalisque.

v. 65. 66. Si populus duobus eundem agrum vendidit, utri eorum II vir eum agrum non adiudicarit, pro eo tantundem reddat.

v. 66. 67. Si agrum colono ante adsignatum populus vendidit et II vir agrum eum non colono adsignavit, tantundem agri colono reddatur.

v. 67. 68. Item similiter ei qui a colono emit.

v. 68. 69. Si agrum colono ante adsignatum populus vendidit et II vir agrum confirmavit colono, tantundem agri emptori reddatur.

v. 70. Qui nomina emptorum a populo emerit, qua pecunia emerit, eam ex idibus Martiis primis populo petere liceat.

v. 71. 72. Ex eadem die ipsi nomina exigere liceat. Si ante eam diem pecunia exacta erit, ei, qui id nomen emerit, ne minus debeatur neve magistratus senatorve exactionem impediat.

v. 73. Emptores agrorum ad certam diem nisi solverint, ante certam diem aliam praedibus praediisque populo quomodo caveant.

v. 73. 74. Qui emptores ad eam diem non caverint, iis praedia auferantur et pecunia praesenti veneant.

v. 75. 76. Quod agri publici p. R. in Africa populo libero perfugisve datum est, si ex hac lege venierit neque aliunde emptori

satisfactum sit, populo illi perfugisve tantundem agri reddatur.

v. 77. 78. Quod agri publici p. R. in Africa stipendiariis datum est, si ex hac lege venierit neque aliunde emptori satisfactum sit, tantum agri quantum eius fieri potest stipendiariis reddatur.

v. 78-82. Quod agri publici p. R. in Africa ita nec colonis nec populis liberis neque emptoribus nec stipendiariis nec regibus Numidiae attributum est neque, ut ager in quo Carthago fuit, omni usione interdictum est, inde vectigal decumae scripturave populo persolvantur.

v. 82. Quos C. Gracchi de provincia Asia lex vectigali decumis scriptura liberavit, ut qui per hostem frui non potuerint, iidem hac lege liberi sint.

v. 83. Peregrinus qui eo agro fruetur, idem quod civis Romanus vectigal pendat.

v. 83. 84. Qui emptores caverint nec suo tempore solvant, ei qui nomen emit ter tantam pecuniam debeant rursusque pro hac pecunia praedibus praediisque caveatur.

v. 85-86. Vectigal decumae scriptura ut nunc sunt ita in perpetuum maneant.

v. 87. Publicani quominus cariore quam quo nunc conduxerunt pretio conducant, nihil rogatur.

v. 87-89. Magistratus ne faciat, quominus qui vectigal decumas scripturam debent deteriore condicione sint quam nunc sunt.

v. 89. Viae publicae in suo statu ut maneant.

v. 90. Qui agrum contra h. l. apud II virum professus sit, ei is ager auferatur eiusque portio indici tribuatur.

v. 91. Quocum agrum vectigalem recte professo de eo agro transactum est, quod eius agri publice veniit, pro eo ager ei de publico reddatur.

v. 92. Agri vectigalis sibi adempti ne qui vectigal deinceps solvat.

v. 93. De agro vectigali iudicium ut fiat?

v. 94. 95. De fructibus comportandis?

III. De agro publico p. R. qui Corinthiorum fuit.

v. 96. 98. De agro Corinthiaco metiundo.

v. 99-101. De eo agro publice vendendo praedibus praediisque et de pretio solvendo.

v. 102. De iudicio.

v. 103-105. Fragmenta incerta.

I .... [*tr(ibuni) pl(ebei) plebem ioure rogarunt plebesque* (82)
ioure scivit ..... Tribus .. princi]pium fuit, pro tribu b 1
Q. Fabius Q. f. primus scivit.

Quei ager poplicus populi Romanei in terram Italiam
P. Muucio L. Calpur[*nio cos. fuit, extra eum agrum, quei* (232)
ager ex lege plebeive sc(ito), quod C. Sempronius Ti. f. tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, exceptum cavitumve est nei divideretur ....
II *quem quisque de eo agro loco ex lege plebeive sc(ito) vetus possesor sibei*| agrum locum sumpsit reliquitve, quod non modus b 2
maior siet, quam quantum unum hominem ex lege plebeive
sc(ito) sibei sumer[*e relinquereve licuit;* (248)
III *quei ager publicus populi Romanei in terra Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei ager ex lege plebeive sc(ito), quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit, exceptum cavitumve est nei divideretur .... quem agrum locum*| quoieique de eo agro loco ex lege plebeive sc(ito) b 3
IIIvir sortito ceivi Romano dedit adsignavit, quod non in eo
agro loco est, quod ultr[*a* .... (317)

quei ager publicus populi Romanei in terra Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei ager ex
IV *lege plebeive scito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit, exceptum cavitumve est nei divideretur, de eo agro loco quei ager locus ei, quei agrum privatum in publicum commutavit, pro eo agro loco a IIIviro datus commutatus re*|dditus est; ∾ b 4
quei ager publicus populi Romanei in terra Italia
P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei
ager ex lege [*plebeive sc(ito), quod C. Sempronius Ti. f. tr.* (316)
V *pl. rogavit, exceptum cavitumve est nei divideretur .... quod eius quisq*]ue agri locei publicei in terra Italia, quod eius b 5
extra urbem Roma*m* est, quod eius in urb*e* oppido vico est,
quod eius IIIvir dedit adsignavit, quod .... [*tum cum haec* (313)
lex rogabitur habebit possidebitve; .....

I = *b* 1 ¦IPIVM Huelsen, ¦PIVM priores. — Post SCIVIT spatium nullum in aere est.

II = *b* 2 in. ¦GRVM aes, AGRM priores errore.

III = *b* 3 QVOI EIQVE, non QVOI·EIQVE, aes; punctum a Bluhmio positum quaerens in aere non deprehendi; tabula tamen habet. — extr. QVOD·VLT¦ aes; hasta extrema dubia.

IV = *b* 4 MNVCIO aes. — EX¦ ¦RA aes.

V = *b* 5 in. ¦VE aes. — ROMA et VRBEM aes.

VI *quei ager publicus populi Romanei in terra Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei ager ex*] lege plebive scito. quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rog(avit), b 6
exceptum cavitumve est nei divideretur, quod quoieique de eo agro loco agri locei aedific[*iei . . . . . q*]uibu[*s . . . . .* (140) a 1
VII . . . . *i*]n terra . . . Italia IIIvir dedit adsignavit reliquit inve (170) b 7
formas tabulasve retulit referive iusit: ∾
ager locus aedificium omnis quei supra scriptu[*s est . . . .* (134)
extra eum agrum locum de quo supra except]um cavitu[*mve* a 2
VIII *est, privatus esto . . . . eiusque locei agri aedificii emptio ven-* (168)
diti]o ita, utei ceterorum locorum agrorum aedificiorum priva- b 8
torum est, esto; censorque queicomque erit fa[*c*]ito, utei is
ager locus aedificium, quei e[*x hace lege privatus factus est,* (127)
ita, utei ceteri agri loca aedificia privati, in censum referatur
. . . . deque eo agro loco aed]ificio eum, quoium [*is ager locus* a 3
aedificium erit, eadem profiterei iubeto, quae de cetereis agreis (167)
IX *loceis aedificieis quoium eorum quisque est profiterei iusserit*
. . . .] est; neive quis facito, quo, quoius eum agrum locum b 9
aedificium possesionem ex lege plebeive scit[*o ess*]e oportet
oportebitve, eum agrum l[*ocum aedificium possesionem minus* (124)
octatur fruatur habeat possideatque . . . . n]eive quis de ea a 4
X re ad sen[*atum referto . . . . neive pro magistratu inpe*]riove (165) b 10
sententia*m* deicito neive ferto, quo quis eorum, quoium eum
agrum locum aedificium posse[*sio*]nem ex lege plebeive scito
esse oport[*et oportebitve . . . . eum agrum locum aedificium* (121)
possesionem minus octatur fruatur habeat possid]eatque quove a 5
possesio invito, mor[*tuove eo heredibus eius inviteis aufe-* (162)
ratur.

XI *Quei ager publicus populi Romanei in terram Italiam*
P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit . . . . quod eius IIIvirei
a(greis) d(andeis) a(dsignandeis) viasiei]s vicaneis. quei in b 11
terra Italia sunt, dederunt adsignaverunt reliquerunt: neiquis
facito quo minus ei oetantur fruantur habeant po[*ssideantque,* (120)
I. *Ager privatus* itaque in commercio (v. 8) censuique censendo (v. 8) neque vectigalis (v. 19. 20) iam ex hac lege est:

1) *ager pro agro privato in coloniam contributo vel alia ex causa populi facto domino qui fuit de publico redditus.* Qui non solum privatus fit, sed *uti quoi optuma lege privatus est* (v. 27 cf. v. 4); denique, ubi ademptus ager fuit patritus, pro patrito fit (v. 28). — Cf. n. 3 similiaque infra in agro Africano.

2) *ager a vetere possessore intra legitimum modum occupatus eique a III viro causa cognita relictus* (v. 2 cf. v. 13. 14). Legem plebive scitum, ad cuius modum lex haec respicit, intellege legem Liciniam D iugerum a Graccho ita relatam, ut pro singulis filiis familias ducena quinquagena iugera adicerentur (*παισὶ δ' αὐτῶν ὑπὲρ τὸν παλαιὸν νόμον προσετίθει τὰ ἡμίσεα τούτων* Appian. b. c. 1, 9 cf. 11; Vell. 2, 6); praeterea quod Livius (ep. 58) et Victor (vir. ill. c. 64) tertiusque Siculus Flaccus p. 136 (nam ex ibi ortum est ex ∝) Gracchos tulisse narrant, ne quis ex publico agro plus quam mille iugera possideret, indicat nemini ad quingenta iugera, quae ipsi permitterentur, plus altero tanto filiorum causa adiectum esse. Vetus autem possessor (v. 13. 16. 17. 21) videtur is esse, qui tum occupavit agrum publicum, cum occupare licuit: ipsumque illud vocabulum certissimum documentum est occupandi ius ante sublatum esse, quam lex haec ferretur. Quare videtur Ti. Gracchus sic rogasse, ut in agro publico ante occupato III viri iudicarent de modo, deinceps vero ne quis amplius agrum occuparet; idque confirmatur legis v. 13. 14. ubi occupationes vetustis illis cum iure tum tempore posteriores commemorantur ita, ut eas nulla lege defensas esse satis appareat. Omnino iusta, id est ex lege plebive scito facta agri publici

occupatio post legem Semproniam amplius non memoratur, quamquam de iniusta aliquoties scriptores verba faciunt (Cic. de or. 2, 70, 284 supra p. 69; Appian b. c. 1, 36). *Pro vetere possessore* qui aliquoties (v. 16. 17. 21) invenitur cum vetere possessore coniunctus qui fuerit, non satis constat aliique de alia re cogitaverunt, ut Huschkius (p. 587) de eius qui primus ex lege possederat successore, de quo tamen aliter videtur cautum fuisse (v. 17). Mihi est, qui iustam possessionem cum probare non potuisset, id est primum iuris auctorem ex lege aliqua iure occupasse non ostendisset, tamen propter longum tempus aequitatis ratione habita a IIIviris in possessione relictus est. — Quicquid vetus possessor prove vetere possessore habuit, ante hanc legem iure populi fuit, ut vectigal inde populo solveretur aut certe solvi deberet, et hac demum lege privatum fit.

3) *ager pro vetere possessione in coloniam contributa veteri possessori qui fuit de publico redditus* (v. 20—23). — Simillimum primi genus hoc cur in ordinem initio legis expositum receptum non sit, causam aliam nullam invenio, nisi scriptorem sero eius memorem postea demum id legi addidisse.

4) *ager post a.* 621 *datus adsignatus a triumviris coloniis civium Romanorum deducendis* (v. 3. 15. 16). Leges Sempronia agrariae licet ad colonias deducendas nequaquam pertinerent, sed ad aliud de quo mox agetur adsignationis genus, tamen post a. 621 coloniae quaedam civium Romanorum in Italia deductae sunt. Nam cum Ti. Gracchus ab huiuscemodi adsignatione omnino abstinuisset, de Gai fratris collegaeque eius in secundo tribunatu a. 632 M. Livii Drusi coloniis haec leguntur apud auctores. Plutarch. C. Gracch. 8: (C. Gracchus tr. pl. II a. u. c. 632) *αὖθις ἑτέροις νόμοις ἀπηρτήσατο τὸ πλῆθος, ἀποικίας μὲν εἰς Τάραντα καὶ Καπύην πέμπεσθαι γράφων.* c. 9 post alia: *Τὸν μὲν γὰρ* (C. Gracchum) *ἀποικίας δύο γράψαντα καὶ τοὺς χαριεστάτους τῶν πολιτῶν εἰσάγοντα δημοκοπεῖν ἠτιῶντο* (optimates), *Λιβίῳ δὲ δώδεκα κατοικίζοντι καὶ τρισχιλίους εἰς ἑκάστην ἀποστέλλοντι τῶν ἀπόρων συνελαμβάνοντο.* c. 10 post alia: *καὶ γὰρ* (Drusus) *οἰκιστὰς ἑτέρους ἐξέπεμπε τῶν πόλεων καὶ διοικήσεσι χρημάτων οὐ προσῄει, τοῦ Γαΐου τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν τοιούτων αὐτῷ προστιθέντος.* App. b. c. 1, 23: (C. Gracchus) *ἀποικίας εἰσηγεῖτο πολλάς* (quarum deinde unam nominat Carthaginem). Post alia: *ἔδοκαν δ' αὐτῷ* (patres M. Druso) *καὶ φιλανθρωπεύσασθαι τὸν δῆμον δώδεκα ἀποικίαις· ᾧ δὴ καὶ μάλιστα ὁ δῆμος ἡσθεὶς τῶν Γράκχου νόμων κατεφρόνησεν.* Liv. ep. 60: (C. Gracchus) *continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia*

deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis, quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit. Vell. 2, 2. 3 quod Ti. Gracchum creasse ait *triumviros agris dividendis coloniisque deducendis,* non accurate locutus est, recte vero in coloniarum recensu 1, 15. 4 sic refert: *post annum* (id est anno 631) *Scylacium Minervium, Tarentum Neptunia.* De duabus igitur coloniis a. 632 (a quo anno Velleius ut solet aberravit solus) C. Gracchus populum rogavit Capuam et Tarentum, de duodecim M. Drusus: neque tamen nisi duas Tarentum Scylaciumque tum deductas esse Velleianus coloniarum elenchus perdocet. Campanam igitur mox sublatam esse a factione optimatium sequitur idque ipsa hac lege confirmatur; clausula enim legis Semproniae agrariae, qua ab assignatione quaedam agri publici portiones excipiebantur et maxime ager Campanus (v. infra II, 6 p. 108) in hac lege cum alibi repetita tum ad ipsas has coloniarias adsignationes adiuncta aperte pertinet ad Capuam coloniam tollendam. Tarentina colonia quamquam relicta est, tamen mansit praeterea urbs Graeca (cf. Cic. pro Arch. 3, 5; Plin. h. n. 3, 11, 99; Zumpt comm. epigraph. 1, 392). quod ipsum contra Gracchi mentem ab adversariis eius ad coloniam illam imminuendam factum videtur esse. Minervia colonia ex Liviis quin fuerit nihil obstat; Liviae reliquae quomodo factum sit ne deducerentur ignoramus, non esse deductas constat ex Velleii silentio itemque inde apparet inter a. 621 et 643 alias colonias praeterea deductas esse in Italia nullas. — Iam ad has colonias pertinere mihi quidem certum est quae in lege sunt v. 3. 15. 16 *IIIvirum a(gris) d(andis) a(dsignandis) ex lege plebeive sc(ito) sortito ceivi Romano dedisse adsignavisse.* Nam ab assignatione IIIvirum Gracchanorum formula comprehensa *quod eius IIIvir dedit adsignavit* (v. 5) cum datio haec differat et sortitione et eo quod ex lege fit, utrumque hoc in coloniariam assignationem convenit; colonia enim deduci non potuit nisi lege de ea re ad populum lata (Marquardt *Handb.* 4, 94) neque umquam colonis ager divisus est nisi sortito (Rudorff *Feldm.* 2, 366 sq.). Contra est in adsignatione vulgari: nam IIIvirum magistratus ordinarius lege quidem constitutus est ut debuit, neque tamen deinde de singulis adsignationibus IIIviri ad populum ferebant; item sortito agrum eos dedisse neque traditur neque facile admittetur. Civium fuisse colonias et Sempronias et Livias praeterea constat (cf. Madvigii opusc. 1, 290) omninoque post conditam Aquileiam Latina amplius nulla deducta est (cf. hist. meae Rom. 1^9, 422). Denique colonias in Italia legibus Semproniis Liviisque decretas qui deduxerint alibi non traditur, deduxisse ipsos IIIviros agrarios lex haec ostendit. — Privatum pleno iure fuisse quicquid

III viri sic colonis adsignavissent, dubitari non potest neque de hoc agro hac lege novum aliquid ius stabilitur, sed confirmatur quod fuit; videturque omnino hoc caput maxime eius causa perscriptum esse, quod ad Capuam coloniam aliasque similes tollendas tacite pertinere videretur.

5) *ager post a.* 621 *a triumviris agris dandis adsignandis datus adsignatus* (v. 5). — Datio adsignatio legum agrariarum Semproniarum (nam Gaium fratrem in summa re nihil innovasse, sed legem quam et frater eius tulerat agrariam rettulisse firmat Livius ep. 60) qualis fuerit et quid inter eam et solitam coloniariam interfuerit cum supra iam tetigerimus, hoc loco paullo plenius explicandum est. — Primum ager ita datus adsignatus non factus est pleno iure privatus, sed ea condicione fuit, quam in parte huius legis Africana *agri privati vectigalisque* nomine significari postea videbimus, id est iure populi fuit, sed usu privatus tamdiu, quamdiu vectigal inde recte solveretur, et quamquam cum reliqua hereditate transferebatur, tamen venumdari non potuit. Plut. C. Gracch. 9: (C. Gracchus) *χώραν διένειμε τοῖς πένησι προστάξας ἑκάστῳ τελεῖν ἀποφορὰν εἰς τὸ δημόσιον, Λίβιος δὲ — τὴν ἀποφορὰν ταύτην τῶν νειμαμένων (ἀφεῖλεν);* Appianus b. c. 1, 27: *νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον* (post C. Gracchum interfectum a. u. 633) *ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε.* Item Sp. Thorium vectigali agro publico imposito effecisse, ut desineret dari adsignari, hac ipsa autem a. 643 lege vectigal illud rursus sublatum esse supra (p. 69) exposuimus. — Deinde ita divisisse agrum publicum III viros Gracchanos, ut qui sortes accepissent non separatim in coloniae formam redigerentur, sed cum coloniarum municipiorumque reliquisque praeterea civium Romanorum communibus contribuerentur, ipsa res declarat; nam cum de coloniis neque Ti. Gracchus neque primo tribunatu, in quo legem agrariam fratris rettulit, Gaius populum rogarit, quid praeterea restat nisi quod posuimus quodque disertis verbis proponit Siculus Flaccus (p. 136 Lachm.) voluisse Gracchum *colonos dare municipiis ad supplendum civium numerum?* — Denique cum in adsignatione coloniaria certo numero civium ad id ipsum electorum ager detur adsignetur, in hac, quae ex legibus proprie agrariis pendet, ager dividitur viritim, id est cives numero non finito suam quisque partem agri capti accipiunt. Qua de re latius explicandum videtur esse: cum enim inde rei agrariae apud Romanos certa notitia vel maxime pendeat, hodie res est fere ignota, neque recte intellegetur nisi testimoniis de hac dividendi ratione ita coniunctis, ut lucem sibi invicem afferant. Sunt

autem haec. — Festus ep. p. 373: *Viritanus ager dicitur, qui viritim populo distribuitur.* Sicul. Flacc. p. 154 Lachm.: *Dividuntur agri limitibus institutis per centurias, adsignantur viritim nominibus* (cf. lib. col. p. 238, 5. 18. 239, 2. 6. 12, ubi ager *in nominibus villarum et possessorum* vel simpliciter *in nominibus adsignatus* dicitur; contra apud Frontin. p. 54, 19 *hominibus* videtur retinendum). Varro de r. r. 1, 10, 2: *Quattuor centuriae coniunctae, ut sint in utramque partem binae, appellantur in agris divisis viritim publice saltus* (cf. *territoria in saltibus adsignata* lib. col. p. 211, 4). Non recte igitur Rudorffio (*Feldm.* 2, 362. 363; cf. p. 351 n. 303 et Schwegleri hist. R. 2, 416 n. 5) visus est is ager viritim divisus esse, qui peditibus tribuatur in coloniaria assignatione. Imo ex illis locis, qui soli fere de agro viritano in universum agunt, duo apparent eius propria et inter se naturali ratione coniuncta: viritanum agrum esse eum, qui populo, id est aut omnibus pro portione civibus distribuatur aut certe quantum fieri potest plerisque numero non lege finito, sed rei natura et agri modo, eumque propterea opponi coloniario (quo pertinere agrum limitibus institutis per centurias divisum nemo ignorat); suam denique eum habere saltus mensuram. Potuit quidem ager colonis sorte attributus dici viritim inter colonos distributus itaque Frontonem certe locutum esse infra (p. 120) videbimus; hoc dico ubicunque adsignationem viritim factam propria et consueta significatione scriptores ponunt, ibi intellegi agrum distributum esse aequaliter inter cives. Quod confirmabitur exemplis adsignationis viritanae apud scriptores relatis, quae subiunxi.

a. Adsignatio prima, ante quam ager privatus censebatur fuisse nullus, modo Romulo modo Numae modo Ser. Tullio tributa, quae ad omnes cives pertinuerit necesse est, facta dicitur viritim. Cic. de rep. 2, 14, 26: *(Numa) agros quos bello Romulus ceperat divisit viritim civibus.* Varro de r. r. 1, 10, 2: *Bina iugera, quot a Romulo primum divisa dicebantur viritim, . . . heredium appellarunt.* Idem de vita p. R. l. 1 (apud Nonium v. viritim p. 43): *et extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis attribuit.* Contra Livius (1, 46), qui has assignationes priorum regum ignorat, Ser. Tullium ait *conciliata prius voluntate plebis agro capto ex hostibus viritim diviso* ad populum de regno tulisse. — Praeterea de his adsignationibus regiis conferenda sunt quae congessit diligentissimus Schweglerus (hist. Rom. 2, 456, n. 1).

b. Lege Cassia a. u. c. 268, quae prima agraria est (Liv. 2, 41), rogabatur *τὴν δημοσίαν γῆν κατ' ἄνδρα διανεμηθῆναι* (Dionys. 8, 72. 73).

c. Lege Maecilia a. u. c. 336 cautum est, *ut ager ex hostibus captus viritim divideretur* (Liv. 4, 48). Eiusdem rei diversa et corrupta relatio legitur ibidem c. 47: *senatus censuit coloniam Labicos deducendam; coloni ab urbe mille et quingenti missi bina iugera acceperant.* Quam coloniam, utpote neque civium maritimam neque, cum intra Latium condita sit, Latinam, nullam fuisse olim ostendi (hist. Rom. 1^2, 184. 349); iam apparet coloniariam adsignationem hic male confundi cum viritana, cui et pro re ingens hominum numerus et mensurae modus exiguus soli conveniunt.

d. Ad a. 359 Liv. 5, 24: *Coloniam in Volscos, quo tria milia civium Romanorum scriberentur, deducendam censuerant triumvirique ad id creati terna iugera et septunces viritim diviserant.* Hoc unico loco viritana adsignatio memoratur in colonia deducenda, sed nata ea ut Labicana ex solo Livii errore, quem praeterea arguit et mira nominis omissio et colonorum pro hac aetate numerus nimius et coniuncta cum hac adsignatio Veientana a. 361 septenorum iugerum ita facta, ut non patrum familiae tantum, sed omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur (Liv. 5, 30). Quam viritanam fuisse et per se patet et diserte testatur Diodorus 14, 102, 4: *Ῥωμαῖοι τὴν τῶν Οὐεξίων χώραν κατεκληροῦχησαν, κατ' ἄνδρα δόντες πλέθρα τέτταρα, ὡς δέ τινες, εἴκοσιν ὀκτώ.*

e. Colum. 1 praef. 14: *C. Fabricius et Curius Dentatus alter Pyrrho finibus Italiae pulso, domitis alter Sabinis accepta quae viritim dividebantur captivi agri septem iugera (coluerunt).* Victor vir. ill. 33: (M' Curius) *quaterna dena agri iugera viritim populo divisit.* Cf. Schwegler hist. Rom. 2, 418. De modo adsignationum illarum quamquam inter auctores non satis convenit, hoc constat illarum causa colonias deductas esse nullas.

f. C. Flaminius tr. pl. u. c. 522 *legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulit* (Cic. Brut. 14, 57; Cato mai. 4, 11; Val. Max. 5, 4, 5). Cato apud Varr. de r. r. 1, 2, 7: *ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium.* Qua de lege notissima idem certum est.

g. Ad a. 581 Liv. 42, 4 (cf. 41, 16): *Cum agri Ligustini et Gallici quod bello captum erat aliquantum vacaret, senatus consultum est factum, ut is ager viritim dividerctur. Decemviros in eam rem creavit A. Atilius praetor urbanus .... Diviserunt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna.*

Quibus exemplis, ubi viritim divisi agri diserta mentio fit[1], alia

1) Columellae locum 1, 3, 10: *post reges exactos Liciniana illa septena iugera, quae plebi tribunus viritim diviserat* non attuli, quoniam eum fluxisse mihi constat

addi possunt eiusdem generis, ut certissimum adsignationis post victos Latinos factae a. 416 Liv. 8, 11: *Latinus ager Privernati addito agro et Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanae dividitur. Bina in Latino iugera ita, ut dodrantem ex Privernati complerent, data; terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis.* Denique confusio illa inter coloniarium viritanumque agrum, cuius Livium duobus locis convicimus supra, fortasse latius etiam serpsit; certe quae apud eum 6, 16 de colonia Satricum deducta narrantur et aliis nominibus suspecta sunt (v. librum meum de re mon. Rom. p. 313) et propter duorum milium colonorum numerum iusto maiorem mensuramque binorum iugerum et semissium iusta minorem ad locos supra examinatos proxime accedunt. Hoc satis apparet viritanam adsignationem a coloniaria eo diversam fuisse, quod in hac certo numero hominum ager dabatur, in illa aut omnibus civibus aut certe tot hominibus, quot agri mensura mox instituenda admissura esset. Neque errabit opinor qui ad viritanam item adsignationem referet, si quando solis certae condicionis civibus nec novae coloniae colonis agri dantur, quod a. 553 de agro Samniti Apuloque veteranorum belli Hannibalici causa senatus decrevit (Liv. 31, 4. 49. 32, 1). Quomodo ager viritanus datus sit, ignoratur, nisi quod *in nominibus* eum adsignari vidimus nec de singulis portionibus omnium civium nomina in sortem coniecta esse consentaneum est; videntur potius qui agro dividendo praeerant saltibus dimensis edixisse, quot iugera, initio fere bina, deinde plerumque septena, cuivis civi destinarentur, deinde qui eum agrum accipere vellent nomina apud eos dedisse eoque ordine in agrum immissi esse nomine in formula agraria ad suam cuiusque portionem adscripto. — Iam ut redeamus ad leges Sempronias agrarias, quibus hominibus quaque ratione ex iis agri dandi essent nusquam quidem traditur; at id ipsum non obscure indicat adsignationem fuisse viritanam et ad omnes inde cives portionem aliquam agri publici pervenire debuisse. Quod ipsum quodammodo voluerat lex Licinia, nam cum agri publici possessores singulos intra certum modum cohiberet, si ad effectum lex perducta esset, ad agri publici communicationem alii deinceps aliique modoque sufficiente tandem aliquando omnes cives pervenissent. Denique legum omnium vere agrariarum hoc supra vidimus proprium fuisse, ut de agris viritim dandis adsignandis agerent, quamquam in eo differunt, quod Cassia

ex loco aut tum iam a librariis corrupto aut perverse scripto et a Columella propterea non satis intellecto Varronis de r. r. 1, 2, 9, ubi agitur de C. Licinio Crasso tr. pl. a. u. c. 609.

lex aliaeque similes agrum ex publico in privatum mutabant, contra Licinia Semproniaeque usum tantum possessoribus concedebant cum vectigalis solutione coniunctum. Quam ob rem si ad viritanam non sorte, sed in nominibus factam adsignationem hanc legum Semproniarum agrariarum recte rettulimus, iam amplius non mirabimur tres viros agrarios Gracchanos fuisse annuos; nam creatus ad hoc magistratus, ut quicquid agri Italici praeter exceptas aliquas portiones populi Romani esset futurumve esset, id utendum adsignaret civibus eis, qui ex agro publico aut nihil aut minimum haberent, perpetua causa nequaquam destituebatur. Quo ordine IIIviri adsignarint, ignoramus, nisi quod veteri possessori ex agro publico eos nihil praeterea dedisse res ipsa docet; potuerunt aut agrum publicum omnem, excepto agro veteribus possessoribus relinquendo, inter cives omnes praeter veteres possessores, quibus iam satisfactum esset, aequaliter dividere aut, quod probabilius est, vacuefactas forte portiones agri publici iis, qui vel legis privilegio antecederent vel primi venissent, ita distribuere, ut ab alia civium parte ad aliam progrederentur. Hoc solum ex legis capite de occupatione post legem Semproniam rogatam facta (v. 13. 14) probabiliter efficitur III viros nulli civi plus XXX iugera attribuisse; unde omnibus tantum agri eos dedisse vel potius dare voluisse nequaquam sequitur. — In ipsa hac lege agraria cum Gracchanam adsignationem coloniariam in v. 3 deprehenderimus, ad alteram viritanam recte referemus quae leguntur v. sequente de agro loco publico in terra Italia, qui extra urbem Romam est (cf. p. 108), qui in urbe oppido vico est, quem IIIvir dedit adsignavit. Clausulam hanc Rudorffius Huschkiusque ad aedificia rettulerunt neque tamen qui factum sit, ut aedificium scriptor legis hoc loco non memorarit, cum tamen ubi lex generaliter loquitur v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12 id posuerit, denique cur aedificiaria haec a reliqua adsignatione mirifico sane discrimine secernatur, explanaverunt; contra ubi haec accipimus de agro adsignato extra urbem Romam intra territoria, existit inde ipsa viritana adsignatio Gracchana, cuius hoc proprium fuit, quod ager publicus ita adsignatus aliquo urbano vel certe vicano territorio comprehenderetur possessoresque tanquam novi municipes oppidanive vicanive eo contribuerentur. — Hunc agrum ante hanc legem publicum fuisse et ea demum privatum effici vectigalique liberari ex supra dictis sequitur.

6) *ager publicus neque excepto solo neque veteribus possessionibus comprehensus post a.* 621 *agri colendi causa intra iugera XXX occupatus* (v. 13. 14). — Occupationem agri publici quoniam lex in

futurum tollit (v. 24. 25), male hunc locum ad futuram occupationem rettulit Rudorffius (p. 57), cum pertineat ad praeteritam neque tamen omnem: nam vetere possessore hunc ordine et iure inferiorem esse ex iis quae in lege supersunt apparet. Quare quin agatur de iis, qui intra a. 621 et 643 agrum publicum occuparint, dubium esse non potest. Aratoribus solis occupationem agri permissam esse eumque qui non arandi causa in agrum publicum venisset nunquam eum occupavisse visum notum est. De ratione quae intercedit inter hoc legis caput et Sempronian legem supra iam dictum est; non licuisse ex Sempronia agrum publicum occupare (qua de re olim erravi) sequitur ex hoc loco et v. 2 inter se collatis, videtur tamen occupatio horum novorum possessorum quodammodo in viritanae IIIvirum Gracchanorum adsignationis vicem subiisse, ut ita qui occupassent agrum non maiorem, quam quantum IIIviri adsignare solebant, non solum in possessione retinerentur, sed agrum item habere inciperent iure privato. A quattuor praecedentibus causa haec propterea separatur, quod illae solae ad divisionem adsignationem relictionem IIIvirum Gracchanorum pertinent.

7) *Ager, quem ex hac a.* 643 *lege venire dari reddive oportebit* (v. 12 cf. v. 32), qui fuerit ignoratur, nisi quod de colonia Sipontina haec intellegenda esse conieceris (cf. ad v. 43).

Ad Latinos quod attinet, qui civitatem non haberent, haberent commercium, uno legis capite, quod est de adsignatione coloniaria (v. 3. 15). ipsis legis verbis *(ceivi Romano)* excluduntur. Contra ubi agitur de agro publico reddito pro privato adempto, de possessionibus veterum possessorum, de adsignatione viritana, de agris occupatis, in iis certe quae supersunt fragmentis vestigium nullum est, quod ad eos arcendos ducat; item caput separatum de agro publico pro vetere possessione adempta reddito pertinet cum ad civem Romanum tum ad socios nominisve Latini, quibus ex formula togatorum milites imperentur (v. 21). Praeterea quae in universum de agro caventur censui censendo et in commercio eum esse debere neque vectigal inde solutum iri, in Latinorum agros privatos non minus quam in agros civium Romanorum conveniunt. Nam ad censum quod attinet, de quo fortasse erunt qui dubitent, non solum quem agrum in civium Romanorum colonia aliove quo eius generis territorio situm Latinus compararat, nihilo minus is ager Romae censebatur tributumque inde populo Romano a Latino domino persolvebatur, sed etiam de Latini iuris oppidis Romae census agi poterat (Liv. 29, 15). Unde recte Festus (ep. p. 58) *censui censendo,* inquit, *agri proprie appellantur, qui et emi et venire iure civili possunt.* Denique ager

hac lege privatus esse iubetur (v. 14. 23), non privatus ex iure Quiritium, licet in neutram partem hoc multum valeat. Coloniae igitur huius aetatis et praesertim Gracchanae Liviaeque quin civium fuerint, et lex haec dubitare non sinit neque ante eam restitutam peritiores de ea re dubitaverunt; contra ut in adsignatione agri Ligustini et Gallici a. 582 cives dena iugera, socii nominis Latini terna acceperunt, ita in Gracchana etiam in partem socios vocatos esse lex nisi comprobat, tamen commendat. Neque quod opulenti Latini inter legum Semproniarum praecipuos adversarios referuntur (App. b. c. 1, 36) quicquam in contrarium probat. Nam primum leges illae cum pauperioribus sive civibus sive Latinis agros locupletibus ereptos tribuerent, universam divitum factionem contra eam constitisse consentaneum est. Praeterea etsi Latinis etiam agri adsignabantur, multo ii minorem modum acceperunt quam cives. Denique non sine causa Latini veteres possessores magis etiam sibi videntur timuisse quam Romani. Nam veteri possessori cum relinqueretur quod intra modum possedisset ex iusta causa, id est ex edicto, quo ad possessionem vacuam occupandam magistratus quem vellet invitabat, fieri potuit, ut agrum, in quem cives Romani vocati essent, viciniores Latini contra edictum sibi sumpsissent, itaque eum ne iudicio triumvirum totum perderent non sine causa timerent.

II. *Ager publicus populi Romani* ex hac lege est

1 *ager coloniis municipiisve fruendus datus* (v. 31. 32), qui ex hac lege eodem iure iubetur esse, quo ante fuit. Ager concedi potuit aut Latinorum communibus, de quibus in lege cautum fuisse ex reliquiis constat, aut civium Romanorum oppidis, quae supplementis nituntur, probabilitate tamen iis commendatis. Ad Latinos quod attinet, comparari poterunt quae apud Ciceronem (de l. agr. 1, 4, 10. 2, 22. 58) leguntur de agris publicis populi Romani in Africa, de quibus regibus Numidiae foedere aut cautum fuit aut debuit esse; nam simili plane ratione in foederibus multis inter Romanos civitatesque Italicas ictis de aliqua parte agri publici populi Romani fruenda cautum fuisse verisimile est. Civium coloniis municipiisque qui ager publicus p. R. fruendus dabatur, ex eo genere maxime videtur fuisse, quod apud gromaticos dicitur subsicivorum, item relictorum rei publicae concessorum. Sicul. Flacc. p. 162: *Auctores divisionis adsignationisque aliquando subsceiva rebus publicis coloniarum concesserunt . . . . . quae quidam sibi donata vendiderunt, aliqui vectigalibus proximis quibusque adscripserunt, alii per singula lustra locare soliti per mancipes reditus percipiunt, alii in plures annos* (cf. p. 117, 21 sq.: Rudorff *Feldm.* 2, 392. 394). Nisi quod huius agri usum solum rebus

publicis concedi, ius penes populum Romanorum remanere auctores illi etsi non negant, certe non dicunt. Quod si ager ille publicus fuit, vectigal inde nisi verum, tamen ut in trientabulis, quibuscum coniungitur, assium singulorum pro singulis iugeribus populo Romano solutum sit necesse est; neque enim aliter publici agri usus videtur alienari potuisse nisi vectigali publico imposito. — Ex lege apparet agros illos aut lege aut senatus consulto *(poplice deve senati sententia*, v. 31*)* communibus concessos esse; adimi iisdem eos potuisse ex iuris forma sequitur concessione in contrarium acta, id est senatus consulto data senatus consulto alio, lege permissa lege de ea re in contrarium lata, foedere denique stabilita non nisi consentientibus populis qui fecissent duobus.

2 *ager in trientabulis fruendus datus* (v. 31). Cum bello Hannibalico a. 544 privati populo pecuniam mutuam dedissent (Liv. 26, 36), prima pensio a. 550 (Liv. 29, 16), tertia a. 558 aere soluta est (Liv. 33, 42; Fest. v. tributorum p. 364); at pro secunda pensione cum pecunia deficeret, a. 554 agri publici, qui intra quinquagesimum ab urbe lapidem essent, aestimati a consulibus ita creditoribus dati sunt, ut *in iugera asses vectigal testandi causa publicum agrum esse* imponerentur; *trientabulumque is ager, quia pro tertia parte pecuniae datus erat, appellatus* (Liv. 31, 13). De quibus agris quamquam cautum erat *ut si quis cum solvere posset populus pecuniam habere quam agrum mallet, restitueret agrum populo* (Liv. l. c.), tamen eos cum populus ex lege contractus petere non posset, creditores vero agros quam pecuniam habere mallent, apud hos remansisse apparet. Hoc addo trientabulum non a triente tabulisque derivandum esse, sed simpliciter a trientando, ut a stando stabulum fit, a patiendo patibulum, a venando venabulum similiaque permulta verba non ita vetusta omnia. Trientabulorum illorum condicio plane ut agrorum municipiis concessorum ex hac lege ea iubetur esse quae ante fuit.

3 *ager publicus a IIIviris Gracchanis viasiis vicanis ita datus adsignatus, ut viarum cura possessoribus his quasi vectigalis loco iniungeretur* (v. 11. 12. 13). Qui ager item eodem quo fuit iure esse iubetur, id est ut heredem sequatur et recte venumdari possit, publicus tamen maneat solusque ex universa Gracchana adsignatione non commutetur in agrum privatum. Quam ob causam factum est, ut primo capiti legis, ubi agitur de agris a IIIviris divisis adsignatis iam privatis effectis, exceptum hoc agrorum genus illico subiungatur. *Viasii vicani*, qui hoc solo loco reperiuntur, videntur fuisse, quibus ager publicus iuxta viam publicam attribuebatur ita, ut tamdiu ipsi heredesve eorum haberent, quamdiu via recte muniretur. Quare aut

operae pro vectigali erant, quo pertinet Catonis illud (de r. r. 2, 4) per ferias familia utendum esse ad viam publicam muniendam, aut certa summa vectigalis nomine a possessoribus viariis exigebatur, ex qua via muniretur, quo rettulerim titulum Nucerinum (C. I. L. X 6954; *Bull. dell' Inst.* 1847 p. 175) de via restituta *reddito ordinario vectigali tutelae eius* aliumque Appiae viae (C. I. L. IX 6075), quo teste imperator Hadrianus eam refecit pecunia de suo adiecta *ad HS. DLXIX C, quae possessores agrorum contulerunt.* Eam adsignationem factam esse non lege lata, sed senatus consulto, haec lex ostendit habetque id rationem; pertinet enim ad agrum publicum utendum magis quam alienandum. Antiquissimam eam esse et *viasiorum* forma vetustissima indicat et Catonis locus supra citatus et maxime tot illa fora Appii, Claudii, Flaminii, Iulii, Popilii, Sempronii, aliorum, quae quamquam postea ad municipii ius pleraque ascenderunt, tamen origine viasiorum vicos fuisse apparet. At de viariorum possessionibus ante a. 621 datis cum causa nulla esset cur verba fierent in hac lege, extra quam fuisse vidimus, quicquid ante eum annum de agro publico rogatum decretumve est, contra cum C. Gracchus viarum per totam Italiam munitor acerrimus (Appian. b. c. 1, 23; Plut. C. Gracch. 7) collegaeque eius eiusmodi agros sine dubio permultos attribuissent, alios complures inter reliquas adsignationes causa probata possessoribus denuo confirmassent, essetque omnino viarum publicarum munitio cum adsignatione agraria artissime coniuncta (Cic. ad fam. 8, 6, 5), omnino necessarium erat statuere de agris viariorum factis adsignatione Gracchana.

4. *Ager compascuus* (v. 14 cf. 25. 26), de quo rectius quam fecit Rudorffius fecique ego olim, Huschkius (p. 590) iudicavit, is est, in quibus non qui velit, sed certi tantum homines, plerumque praediorum quorundam vicinorum domini, ius pascendi habeant. Frontin. de controv. p. 15 Lachm.: *Est et pascuorum proprietas pertinens ad fundos, sed in commune; propter quod ea compascua multis locis in Italia communia appellantur, quibusdam provinciis populi Romani indivisa* (sic enim legendum est). Scaevola Dig. 8, 5, 20, 1: *Plures ex municipibus, qui diversa praedia possidebant, saltum communem, ut ius compascendi haberent, mercati sunt idque etiam a successoribus eorum est observatum; sed nonnulli ex his qui hoc ius habebant praedia sua illa propria venum dederunt; quaero an in venditione etiam ius illud secutum sit praedia, cum eius voluntatis venditores fuerint, ut et hoc alienarent. Respondit id observandum, quod actum inter contrahentes esset; sed si voluntas contrahentium manifesta non sit, et hoc ius ad emptores transire.* Cf. Sent. de Genuat. (C. I. L. I 190. V 7749) v. 32—35

ibique adnotata. item Sicul. p. 157, 9 et Hygin. p. 116. 25 sq. 201. 202 Lachm. Ceterum ager compascuus cuius sit iure dominii, nihil interest: potest esse privatus eorum ipsorum, qui pascendi ius habent, ut eo casu, de quo Scaevola respondit; potest esse coloniae municipiive; potest denique populi Romani esse, ut est hic de quo agitur ager ita publicus, ut certis hominibus eorumque heredibus emptoribusve solis in eo pascere liceat scriptura tamen populo pro pastione ea solvenda. De quo vectigali ita in lege videtur caveri, ut quot pecudes in eo agro, ubi pascit qui vult, immunes sine scriptura cuivis pascere licet, tot quibus ius compascendi est in compascuum agrum immunes inducere liceat, pro reliquis solitam scripturam populo soluturis. Immunes pascuntur pecudes maiores, id est boves equi muli asini, ad denas; pecudum minorum numerus periit, quem tamen non sine probabilitate quinquagenarium fuisse Rudorffius (p. 67) coniecit, eo quod Licinia lege pecudes maiores centenae, minores quingenae sine scriptura pascebantur (App. b. c. 1, 8). Compascuus ager recte cum viariorum componitur, nam iure populi est, usu privatus, neque nihil inde populo redit.

5. *Viae publicae* in suo statu ut maneant, lege cavetur (v. 28).

6. Ager publicus lege Sempronia agraria exceptus ne divideretur quamquam ipsa ea lege extra IIIviralem adsignationem positus fuit, tamen scriptori legis necessarium visum est exceptionem illam ad singula IIIviralis adsignationis genera (v. 1. 4. 6. 13. 22) referre et peraeque eam confirmare. Quod cum ipsis accurati sermonis legibus requiritur, ne regula sine sua exceptione ponatur, tum maxime eo consilio factum videri, ut lex Sempronia de colonia Capuam deducenda, qua agrariae illi derogatum est, rursus tacite tolleretur, supra (p. 98) iam observavimus. Ceterum quo spectent illae exceptiones, ex ipsa lege non apparet; aliunde notum est Gracchos excepisse praesertim agrum Campanum. Cicero (de lege agr. 2, 29, 81): *nec duo Gracchi,* inquit, . . . *nec L. Sulla . . . agrum Campanum attingere ausus est;* similisque exceptio in legem Flaviam agrariam a. 694 ut insereretur Cicero suasit (ad Att. 1, 19, 4): *liberabam* (nimirum a divisione) *agrum eum, qui P. Mucio L. Calpurnio cos. publicus fuisset.* Praeterea de quo exceperint Gracchi, ignoratur; loca enim publica et sacra in urbe Roma, quae post restitutam tribuniciam potestatem attigisse neminem Cicero (de l. agr. 2, 14. 36) scribit, non tam hac legis Semproniae exceptione crediderim tuta fuisse, quam verbis v. 5 sine dubio item ex eadem lege Sempronia repetitis *quod eius extra urbem Romam est* (cf. Huschke p. 588). Omnino quod ager Campanus ita exceptus est, factum est ea propter, quod locari solebat

certumque inde annuum vectigal aerario redibat neque cum eo alios agros nisi ob similem causam exceptos esse crediderim. — Quod ex lege C. Gracchi in hac rogatione repetitur exceptio haec, recte fit, quoniam recentior quaeque lex antiquiorem vincit; re tamen proficisci eam ex lege Ti. fratris dubium non est, cum Gaium eandem quam et frater tulerat legem agrariam tulisse auctores tradant (Liv. ep. 60).

7. Denique quod praeterea ex agro publico superest quodque maxima ex parte ex eo agri genere videtur fuisse, in quo falx et aratrum ire non posset, occupatione denuo vetita pecuariis publicanisque permittitur, ut ibi pascat qui velit, qui supra certum numerum eundem, quem supra in compascuo agro invenimus, pascat, scripturam per publicanum populo solvat (v. 24. 25. 26), denique in callibus viisve publicis quivis libere pascat neve quid cui pro eo pastu debeat (v. 26).

Latinis peregrinisve quod anno ante hanc legem rogatam proximo 642 ex lege foedereve in agro publico populi Romani facere licuit, ius ita servatur, si idem haec lex civi Romano facere permisit (v. 29). Id est leges foederave, quae legis rogandae tempore vigerent, ita confirmantur, ut si quid illis permissum est, quod haec lex civi Romano interdixit, idem Latino quoque interdicatur, contra si quid lex haec civi Romano dedit illis foederibus eorumve quibusdam non comprehensum, hoc ius minime cum Latinis communicetur.

I. Forma orationis haec est, ut in protasi agri a IIIviris relicti divisi adsignati genera quattuor deinceps enumerentur (v. 1—5), tum omnia simul colligantur (v. 6. 7), denique in apodosi v. 7—10 privati iuris esse iubeantur, praeterea summa exceptio et quasi ipsi rei inhaerens eius agri, quem ipse C. Gracchus dividi vetuerat, formula *extra eum agrum, qui* cet. comprehensa praescriptionis loco antecedat, reliquae vero exceptiones formulis *quod non siet, quod non in eo agro est,* cet. comprehensae postpositae subsequantur. Quem sententiarum ordinem perspexit Rudorffius, cuius pleraque supplementa retinui.

II. Hunc locum collato fere gemino v. 13 Rudorffius supplevit idemque de vetere possessore haec accipienda esse recte monuit. Eum tamen qui *pro vetere possessore* dicitur ab hoc loco abesse malui, cum item in gemino illo non inveniatur.

III. Quod Rudorffius emendare et supplere ausus est QVEM · VETus *possessor prove vetere possessore sibei sumpsit reliquitve* traditis con-

trarium est, neque praeterea recte excogitatum; nam veteris possessoris ager colono dari potuit alio pro eo commutato. Quemnam in agrum coloni Gracchani hoc loco deduci vetentur, non adsequor, quamquam vel idem vel similis ager videtur fuisse v. 21 commemoratus *quei trans Curione est.* Fortasse verba spectaverunt ad urbem Graecam Tarentum a colonia iuxta stabilita defendendam (v. p. 98).

IV. . . . . *dditus est* quo pertinuerit, hodie certa ratione stabiliri non potest. Quem Rudorffius (p. 53) huic loco intulit agrum veteri possessori contra ius ademptum, deinde a IIIviris causa denuo cognita redditum, equidem expuli: nam eiusmodi ager omnino ad primum genus pertinet veteribus possessoribus relictorum et confirmatorum. Quod posui, repetitur quidem quodammodo v. 27, videtur tamen hoc quoque loco ita ferri posse, ut hic de agris, quos IIIviri Gracchani commutarint, altero loco de commutatione in universum agatur.

V. Primariam sententiam: *[quod eius quisq]ue agri locei publicei in terra Italia* verbis *habebit possidebitve* similibusve in enuntiato extremo inserendis explendam esse huius sermonis periti facile intellegent.

VI. Nihil nisi clausulam generalem, qua quae procedunt denuo comprehendantur, in hoc loco inesse statui: certe quae supersunt ad magis propria et certa non ducunt.

VII. *a* 2 Rudorffius rettulit ad formulam quam supra toties habuimus de exceptis lege Sempronia agris, recte fortasse; tamen quae posui et breviora et accuratiora visa sunt.

VIII. Pro emptione venditione Rudorffius possessionem posuit. Deinde tributum legi intulit, de quo in ipsa lege perscriptum fuisse non crediderim. Cautio ne ager huiusmodi vectigal pendat, sequitur postea v. 19.

IX. *Possessio* quamquam alibi in lege ita legitur, ut ea ager possessus non ambigue significetur (cf. v. 92: *quem agrum possessionemve quoiusve agri possesionisve superficium*), tamen quod est hoc versu et sequente: *quoius eum agrum locum aedificium possesionem esse oportet* per appositionem potius explicandum est, ut dicitur *tr. mil. legionibus IIII primis, aliqua earum* et similia. Itaque *agrum, possessionem cuius esse* idem fere est ac *agri possessionem cuius esse.*

X. Quod dedi si nullis exemplis tamen re defenditur; nam *sententia(m) dicere, sententia(m) ferre* idem est ac *sententia pronontiare* (v. 39; l. repet. v. 42) et ad iudicia pertinet. Non recte de sena-

toribus cogitavit Rudorffius, cum horum quidem sit sententiam dicere neque tamen sententiam ferre.

XI. Quamquam in hac lege IIIvirum adsignare, non IIIviros Rudorffius monuit, hoc ab iis hoc loco restituendis me non deterruit. Nam quod observavit Rudorffius eo redit, quod uni homini IIIvir adsignat, pluribus adsignant IIIviri: quare ut infra v. 77 stipendiariis, v. 81 Uticensibus Xviri adsignant, ita hoc loco recte viariis adsignare dicuntur IIIviri. Decemviri autem ex lege Livia male huc illati sunt.

XIV. *[agri colendi cau]sa* debetur Rudorffio; cf. sententiae Genuatis v. 31.

XV. Iunge sic: *quoi ceivi Romano III vir eius agri, quei ager — fuit, agrum dedit.* Possessionis datio haec v. 15—18, quae ante idus Martias primas perfici iubetur, non ea est quae fit prout res incidit, sed quicumque agrum, qui post a. 621 ex publico privatus vel quasi privatus factus est, suum esse vel perpetuae hereditariaeque possessionis ius sibi esse contendit, sive possidet sive possessionem rei amisit, apud eum, quem ex hac lege ius dicere oportet (id est apud consulem praetoremve, v. ad v. 33) profiteri iubetur causaque cognita in possessionem restituitur confirmaturve. Ager a IIIviro colono datus adsignatus praecedit agrum reliquum. — Idus Martias (cf. v. 17. 18. 70) in publicis populi Romani rationibus anni principium fuisse efficitur ex lege quam Caesar insulae Cretae cotoriis locandis dixit (Dig. 39, 4, 15): *Ne quis praeter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve avehito,* eodemque pertinent Macrobii (sat. 1, 12, 7) verba antiquos mense Martio vectigalia locasse. Quamquam et Macrobius et qui haec opportune attulit Rudorffius p. 66 in eo erraverunt, quod ipsam locationem censoriam in idus Martias reiecerunt. Contra neque diem quo censores inirent neque diem quo locarent statos fuisse lex haec confirmat locationem quandam censoriam a. d. XI k. Oct. factam esse memorans (v. 21); at quicumque magistratus quocumque die locabat, locabat ab idibus Martiis ad pridie idus. Quare quod anni aut 644 aut probabilius a. 643 idus Martiae in lege ponuntur, factum videtur non eo, quod eo anno censores creandos esse auctor legis prospiciebat, sed simpliciter nova possessionum ordinatio terminari iubetur ante quam publica anni proximi ratio inciperet putari.

XVI. Inter *a* 11 et *b* 17, item inter *a* 12 et *b* 18 supplementa ita institui, ne tertium agri ex hac lege privati genus in possessione ordinanda praeteriretur.

XVII. Qui sit, quem ex hac lege de eo agro ius dicere oporteat, exposui ad v. 33.

XVIII. In interdicto de vi initio duas has clausulas fuisse *cum ille qui deiectus est, possideret* et *quod nec vi nec clam nec precario possideret,* quarum prior postea supervacanea visa est[1], notum est ex Cicerone pro Caec. 31, 91 et pro Tull. 44.

XIX. Eius agri, qui adhuc vectigal debuit et ex hac lege debere desinit, vectigalia exigi vetantur *postquam vectigalia constiterint, quae post hanc legem rogatam primum constiterint.* Quod ad vectigalia hac lege Africae imposita Rudorffius (p. 67) rettulit, non recte; vectigalia enim consistunt, ubi dies venit, quo peti possunt itaque hoc ait lex proximam pensionem ab eiusmodi possessoribus solvi oportere, deinceps eos liberos futuros esse. Quod si supra recte posuimus annum publicarum rationum ab idibus Martiis coepisse, cum pensiones vectigalium annuae essent neque incipiente, sed transacto anno solvi solerent, dies, quo prima post hanc legem vectigalia consistunt, eaedem idus Martiae sunt post hanc legem rogatam primae, ante quas possessionem agri publici privatique ordinandam esse supra lex cavit.

XXI. Quo pertineat clausula de agro trans Curionem sito, ignoratur. Huschkius p. 592 retentis Rudorffianis supplementis: *[Quei] ager locus publicus popul[i Romani in terra Italia P. Mucio L. Calpurnio cos. fuit, quem agrum censores] — oina quom agro quei trans Curione est locaverunt* Curium montem Aetoliae (Strab. 10, 2, 4 p. 451. 3, 6 p. 465 Cas.) indicari putat, trans quem ager publicus populi Romani qui fuerit, locari solitus sit una cum agro publico inferioris Italiae, in quo coloniae Gracchanae Scylacium Tarentumque constitutae fuerint. Quae quamquam docte et acute excogitata sunt, tamen rem non perficiunt. Neque enim video, cur situm coloniarum in Italia conditarum per has ambages lex demonstraverit, cum liceret colonias significare post a. 621 in terra Italia conditas; nec regiones mari Hadriatico diremptas una locatione locatas esse credo, neque placet omnino mira et perversa regionis locatae indicatio a coniunctis pro simplici nominis enuntiatione. Quare cum haec explicatio reicienda esse videatur neque alia melior mihi quidem suppetat, emendationem vero, qua pro Curione Rubiconem in legem intulerunt, verbo satis sit notavisse, ingenue fatendum est, nescire nos quid subsit. At hoc certe perspicere mihi videor primum non significari hoc loco agrum nescio quem cis Curionem situm simul cum eo qui trans Curionem est locari solitum, sed ipsius agri trans Curionem siti aliquam partem ad hoc legis caput pertinuisse; deinde ita eum

[1]) [Cf. tamen Lenel, d. Edictum perpetuum p. 372].

agrum eo capite comprehendi, ut excipiatur (cf. v. 3), id est cum praeterea pro possessionibus Italicis coloniarum causa ademptis alii agri redderentur, tamen quae earum trans Curionem ademptae essent, sive quod ademptio ipsa non valebat, sive quamcunque aliam ob causam, ad eiusmodi restitutionem non pertinerent. Tangitur sine dubio colonia aliqua C. Gracchi M.ve Drusi Italica postea sublata. — Formula est *κατάλογος*, matricula; formula sive togatorum sive sociorum Latinique nominis (cf. Liv. 22, 57. 27, 10), id est Italicorum, similis est formulae, quam Plinius h. n. 3, 4, 37 memorat, oppidorum Latinorum Galliae Narbonensis formulaeque Thessalorum Liv. 39, 26, 2 neque raro apud Livium legitur *formula imperii, formula iuris* de recensu populorum oppidorumve, quae ab aliquo *κοινῷ* pendent (cf. 26, 24, 6 ibique adnot.). Supplementa *milites i. t. I. i. solent* profecta ex v. 50 certa sunt; eadem fere res accuratius etiam indicatur v. 29, ubi pro *ex formula togatorum* legitur, quod eodem redit, *ex lege plebeive scito exve foedere.*

XXIII. Inter OBVENERITV et MERIT non plus quam sex septemve litterae perierunt; supplevi tamen *[quive ab eo emit c]meritve,* excidisse QVEIVE · AB · EO scriptori ratus; nam vix licet cogitatione haec supplere ex iis quae praecedunt. — Testamentum, hereditas, deditio tria sunt adquisitionis mortis causa genera, ut scilicet hereditas intellegatur quae ab intestato venit, deditio id est datio tam legatum quam mortis causa donationem complectatur[1].

XXIV. De praetoris consulisve iuris dictione cf. ad v. 33. — Clausula, quae post *b* 24 interiit, videtur pertinuisse ad possessores vi eiectos, fere ut v. 19 de iisdem cavetur. Iam pergitur a privato agro ad ordinandum publicum.

XXV. Ager publicus, de quo hic agitur, sunt pascua publica populi Romani, in quibus qui vult ita pascit, ut certum numerum pecudum sine scriptura impellat, pro reliquis publicano scripturam solvat; neque cuiquam in eo agro compascendi aliquod privilegium est neque ius occupandi neque defendendi, id est prati saepibus secludendi (cf. infra v. 32 et sent. de Gen. v. 41). Qui contra fecerit, in singula iugera quae occuparit vel secluserit, quinquagenis sestertiis multatur, *quotiens faxit,* id est ni fallor in singulos quibus contra fecerit dies. Universum agrum publicum pascua haec non comprehendunt, sed extra ea sunt cum loca publicis usibus destinata, viae templa aedificia publica alia, tum qui aratoribus locari solebat ager Campanus eiusdemque condicionis territoria; eaque ipsa verbis

1) [Cf. M. Weber, Röm. Agrargeschichte p. 150 n. 46.]

quae inter *a* 19 et *b* 25 interierunt significata fuerint necesse est. Rudorffius quae ibi supplevit: *extra eum ag[rum quei ager ex lege plebeive scito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit exceptum cavitumve est nei divideretur]* recte se habent, modo C. Gracchus exceperit ne IIIviri dividerent agrum locum aut publicis usibus destinatum aut arandi causa locatum, sed sola pascua publica et agrum occupatorium; quod fecisse eum probabile est. Malui tamen ea ponere, quae quamquam sic in lege ipsa certe non fuerunt, tamen quid intellegendum sit extra dubium ponunt.

XXVI. De numero pecudum lex remittit ad v. 14. Calles sunt qui nunc dicuntur *tratturi.*

XXVII. Quae sequuntur de loco ex privato in publicum exve publico in privatum commutato, iam aliquanto melius cohaerent in hac quam in Rudorffiana recensione. — OMNEIS cum *ei* pro *i* brevi ferri non potest, posui *dom*NEIS, quod comparatis similibus huius legis *iugra, comperrit, tableis* satis defenditur. Praedium optimo iure privatum est avitum paternumque (Cic. de lege agr. 3, 2, 7, ubi quae praeterea adduntur oratoria magis quam vera sunt), quod ne liberis periret patris nequitia, praetor curabat (Paul. s. r. 3, 4^A, 7) potuitque solum apud aerarium subsignari.

XXVIII. Locum difficilem et a prioribus coniecturis varie temptatum ita expedire volui, ut *agri redimere* eadem ratione dictum esse ponerem, qua dicitur *pecuniae redimere,* in his praesertim negotiis, ubi pecunia in solutione magis erat quam in obligatione. Cavetur hoc loco, ut qui agrum patritum apud aerarium subsignatum populo cesserit proque eo alium acceperit, ea res ei ne fraudi sit, sed ager acceptus in locum cessi populo obligari possit; unde apparet agrum nullum nisi a patre relictum ita subsignari potuisse (cf. Cic. pro Flacc. 32, 80). — Litteras P·P· Rudorffius interpretatus est *pro patrito,* quod paulo ante plene scriptum est, Huschkius *pro praede,* nixus Probi nota 5, 22 ed. meae: P·P·L·V = *pro praede litis vindiciarum.* Mihi iam Rudorffiana opinio magis probatur; nam et sine exemplo est locutio pro praede subsignandi et quid ex iure praediatorio recte significet, me certe fugit. Contra *pro patrito subsignare* est *subsignare agrum qui non patritus est, sed pro patrito,* neque durius hoc est quam quod supra legitur v. 16: *[veteri possesori prove ce]tere dedit* et v. 69: *[curatorive ei]us pro curatorevc eius heredive — reddito* (cf. v. 31). — IIviri hoc loco memorati diversi videntur esse ab iis, qui adsignationes Africanas Corinthiacasque ex hac lege infra iubentur curare, non tantum propter regionum diversitatem quam ob eam causam quod viae curandae negotium ordinarium est.

illos autem IIviros inter magistratus extraordinarios referendos esse constat. Significantur puto IIviri, qui a Dione (54, 26, 7) dicuntur *οἱ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι*, item in lapidibus Campanis satis antiquis (C. I. L. I 1196. 1197) duoviri, qui de consilii sententia vias fecerint vel refecerint, denique in lege Iulia municipali v. 50 *II vir(ei) vieis extra propiusve urbem Romam passus M purgandeis.* Nam quod legis Iuliae verba vulgo ita accipiuntur, tanquam IIviris his viarum curatio intra pomerium et primum ab urbe lapidem comprehensarum committatur, opinio ea et re subabsurda est et factis contraria, cum horum IIvirum lapides in Campania inventi sint, nec verbis satis apta; ita enim dicendi erant *viis extra urbem Romam propius passus M purgandis.* Quid in his verbis vere insit, docet contraria locutio l. Iul. mun. v. 20: *viae in urbem Romam propiusve urbem Romam p(assus) M ubei continente habitabitur.* Pertinent haec ad vias cum intra urbem Romam tum extra urbem ad primum usque miliarium; IIviri vero curant vias extra urbem extrave (eam territorii partem quae) propius urbem Romam passus M (est)[1]. — Ceterum quod earum tantum viarum, quae a. 621 fuerunt, IIviri curam agere iubentur, vix recte Huschkius p. 590 ita interpretatus est vias postea factas viasiis vicanis ex hac lege committi; viasii enim ante Gracchos iam fuerunt neque certe propter eos viae carere potuerunt magistratus cura, qui praestationes lege debitas exigeret. Videntur potius quae ad vias postea factas spectant inter *a* 23 et *b* 29 interiisse.

XXX. Locum hunc Rudorffius non satis perspexit; Huschkius p. 595 quinam enuntiationum ordo esset indagavit, sententiam tamen posuit meo iudicio perversam, ut qui a consule frustra petivisset, a proconsule iudicium acciperet. Quod dedi nisi certum tamen probabile est; nam haec de agro publico iurisdictio ad Latinos quoque peregrinosque aliqua ratione convertenda fuit neque facile aliter de iis potuit caveri nisi ita ut posui idem de iis obtinere, quod ex hac lege obtinet de civibus Romanis.

XXXI. Initio capitis ante *b* 31 loca templis concessa excidisse videntur. — De agro publico proprietate populi Romani, usu municipiorum coloniarumque supra p. 105 dictum est. Oppida in Italia, quibus agro publico populi Romani uti frui licet, eo ordine enumerantur, ut primum ponantur coloniae verae, deinde municipia vera, tertio loco quae pro municipio prove colonia iure habentur; versu extremo verba *pro colonia moinicipiove prove moinicipieis frui* sic

1) [Sed cf. Staatsrecht II³ 604. 2.]

accipe, quasi scriptum esset frui pro colonia prove moinicipio prove eo oppido, quod pro moenicipio est, ut similia supra vidimus ad v. 28. *Pro colonia frui* dicitur ut *pro tribu sciscere;* scilicet ius ad commune pertinet, iuris executio ad singulos cives. *Civium nominisve Latini,* quod in fine additur, pertinet et ad colonias, quas et civium et Latini iuris fuisse notum est, et ad municipia, quae non civium solum, sed Latini item iuris esse potuisse hic denuo confirmatur, et ad tertium illud genus quasi coloniarum et quasi municipiorum. Quid autem iure publico Romano inter coloniam et pro colonia oppidum, inter municipium et pro municipio oppidum interfuerit, certa ratione explicari nequit.

XXXII. cf. v. 12.

XXXIII. Sequitur locus de iuris dictione. Ea ex hac lege duplex est, aut *consulis praetoris quicumque erit* (v. 33. 34) aut *consulis praetoris censoris quicumque erit* (v. 35); denique praeter consulem praetoremque ad proconsulem quoque et propraetorem de eo agro in ius adiri potuisse ex v. 37 apparet. Quarum prior ad generalem illam possessionis ante idus Martias post h. l. rogatam primas ordinationem spectat; nam et v. 24, ubi hanc intellegendam esse constat, similiter de *praetore consuleve* scriptum est et v. 17 ex verbis *quem ex h. l. de eo agro ius dicere oportet* hoc apparet alio legis capite id est hoc de quo agimus, de iurisdictione ea accuratius perscriptum fuisse. Secundum autem iurisdictionis genus omnino, quod iam Rudorffius pervidit, ad agrum publicum in universum pertinet litesque complectitur de eo utendo fruendo inter populum publicanumve et privatos oriundas; idque quamquam quodammodo ordinarium est, tamen quantum ab ordinaria iuris dictione privata differat, vel ex magistratibus in lege nominatis intellegitur. Nam ut consulem, proconsulem, propraetorem hac aetate in Italia extra urbem ius dicere potuisse inter privatos concedamus, censoris certe nullo tempore ulla fuit iurisdictio neque sine causa is magistratus hoc loco ita offendit Huschkium (p. 597), ut PR·CENS corruptum censeret et reponeret PR·COS. At longe aliter res se habet. Ius privatum et iurisdictio praetoria ibi tantum locum habent, ubi privati disceptant; inter populum sive publicanum et privatum si quid ambigitur, ea non iusta lis est, sed ad administrandam rem publicam magis redit decernuntque de ea re quibus in re publica summum imperium est consules praetores proconsules propraetores censores ceteri, ut censores in urbe sola, proconsules propraetores extra urbem tantum, consules praetores et in urbe et extra urbem de ea re iudicent, neque quae de iurisdictione privata legibus ordinata

sunt ad hoc controversiarum genus ullo modo perveniunt. Haec est iuris dictio, quam Ti. Gracchus IIIviris suis tradidit, itaque non sine causa cum his a. 625 erepta esset, ad consules rediit (Appian. b. c. 1, 19), quibus rursus ut adimeretur decemvirisque agrariis permitteretur Rullus rogavit (Cic. de l. agr. 1, 3, 9. 2, 15, 39. 21, 56). Eodem pertinet formula v. 35: *uti eis e re publica fideve sua [videbitur esse]*, ad administrationis licentiam magis quam ad iudicationis severitatem accommodata et infra quoque (v. 78) in legis parte Africana plane similiter ibi posita, ubi ex aequitate magis quam ex iure res pendet. Cui ne quis opponat, quod lites inter populum et privatum dirimuntur ad exemplum iudicii privati recuperatoresque et similia in illis quoque inveniuntur fuisse; hoc enim in omnem omnium populorum iurisdictionem administrativam convenit, quod qui in re publica dominatur specie privato aliquatenus exaequari se velit, re tamen ne dominium illud hoc velut iudicio infringatur diligenter provideat. Denique ad hanc quasi ordinariam de agro publico iurisdictionem efformatae sunt extraordinariae et una investigatione ante idus Martias primas perficiendae diiudicationes, nisi quod censores, qui eo anno nulli erant, recte praetereuntur. — Tangitur autem hoc loco de agro publico iuris dictio illa Gracchana nobilitati vel maxime invisa, quae ut tollatur rerumque actus qui fuit restituatur iam diligenter cavetur.

XXXIV. Supplementa mea sunt, ipsa re satis defensa. Intercessio enim collegarum tribunorumve cum re iudicium esset neque tamen iudicii formam nomenque haberet, sanctione, ne quis de agro publico iudicaret nisi consul praetorve, intercessionem illam non comprehendi eamque hac lege non tolli utiliter addebatur; idque ipsum indicat v. 36.

XXXVII. De iudicio petenti publicano dando vide ad v. 33. Addo cum de pascuis probabile sit ibi iudicatum esse, ubi contra legem commissum esset, iudicia illa non urbana fuisse, sed extra urbem in Italia perfici debuisse; unde explicatur, cur censor hoc loco omissus sit, contra proconsul propraetorque diserte nominentur. De multis iudiciis notum est fuisse fere recuperatoria (Gai. 4, 46; tab. Bant. Lat. v. 9; legis Mamiliae q. d. c. 5 Grom. lat. p. 265); secundum legem hanc ex laterculi recuperatoribus decuria una videtur dari adiecto uno, ut numerus efficeretur impar, deinde reiectio instituta est ita, ut duae partes alternatim singulos recuperatores reicerent, neque tamen ultra quaternam reiectionem procederent itaque remanerent ad minimum recuperatores tres. In iudicio non publico conlegii aquae (C. I. L. VI, 10298) ultra provaditur ita, ut sententiam ferat *recu-*

perator unus communis. Locum hunc de recuperatoribus dandis tractavi supplevique interpretans edictum de aquae ductu Venafrano (C. I. L. X, 4842) in *Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 15, 323.

XXXVIII. *Quae res soluta non siet* rel. exceptiones esse formulae iudicii recuperatorii inserendas facile apparet. Recensentur solutionis, rei in iudicium deductae, rei non per praevaricationem iudicatae exceptiones, admodum eae quidem dignae ad quas iure consulti diligentius quam adhuc factum est animum advertant.

XL. Iuramentum in leges hoc loco significari Rudorffius vidit.

XLIII. Huius versus et sequentium quae supersunt fragmenta ita lacera et exigua sunt, ut a supplementis fere abstinere tutius visum sit, quamquam et Rudorffius plura addidit et iusto audacior Huschkius perpetuum sermonem per hanc quoque partem ubique fere legi restituit; cum enim supplementa omnia non tam quae perierint certa ratione referant, sed commentarii vicem praebeant, hoc loco, ubi ne ordinem quidem sententiarum nisi vates hariolusve divinet, ipsa continuitate ne legentem obruant cavendum est. Ad rem quod attinet, v. 43 transire legem ad agrum publicum populi Romani in provincia Africa plerumque creditur neque dubium est inde ab hoc loco absoluta adsignatione Gracchana ad aliud argumentum in lege pergi; at de Africa non videtur agi nisi inde a v. 45 quique intermedii sunt versus duo 43. 44 alio potius spectant. Nam cum supra (v. 12. 32) provisum sit de agro in Italia ex hac lege vendendo dando reddendo, ea datio adhuc nusquam apparuit neque commode ullo loco inter adsignationem Gracchanam ordinandam inseritur. Contra in extrema parte Italica eiusmodi quid facile potest perscriptum fuisse; eoque refero quae hoc versu leguntur de colonia a M. Baebio tr. pl. deducta. Nequaquam enim mihi probatur quae probata est Huschkio et Rudorffio Pighiana coniectura (ann. 3, p. 64) legem quae hoc loco nominatur a M. Baebio tr. pl. IIIviro coloniae deducendae latam eam esse, ex qua Gracchanis temporibus Carthaginem colonia deducta sit. Nam primum collegam eius nominis Gracchi nullum novimus neque omnino quicquam accepimus de eius nominis qui ea aetate floruerit homine. Deinde quae in hac ipsa lege infra (v. 59) nominatur 'lex Rubria quae fuit', et ipsa creditur, et haec quidem iure, esse ea, ex qua colonia Iunonia deducta sit; unde excluditur Baebia, exploso scilicet Huschkii artificio, qui colonos primum deductos esse Carthaginem lege Rubria, Baebia vero alios additos esse invenerit, cum praesertim legem Rubriam postea abrogatam esse, Baebiam adhuc valere lex a. 643 non obscure indicet. Longe alio ducit Livius, qui ad a. u. c. 560

(34, 45): *Sipontum,* inquit, *in agrum qui Arpinorum fuerat coloniam civium Romanorum triumviri D. Iunius Brutus M. Baebius Tamphilus M. Helvius deduxerunt;* neque quicquam obstat, quominus deducta sit ex lege lata a M. Baebio tribuno plebis. Nam et Baebius, qui a. 562 praetor creatus est (Liv. 35, 10), recte a. 560 tribunatum administrare potuit; similiterque eodem fere tempore Q. Aelius Tubero tribunus plebis et de colonia Thurios deducenda legem tulit et IIIvir eam deduxit (Liv. 34, 53. 35, 9). Contrarium quidem hoc fuit legi Liciniae et alteri Aebutiae, *quae,* ut Cicero ait (de lege agr. 2, 8, 21) *non modo eum qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius cognatos affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur;* at quin hae leges septimo demum saeculo latae sint, ambigi non potest, antea vero tantum abest, ut idem de eadem re populum rogare et eam deinde iussu populi curare non potuerit, ut qui de curatione aliqua extraordinaria populum rogasset, ad eam rem perficiendam ipse vel praecipue populi suffragiis destinaretur. Videtur igitur v. 43 spectare ad coloniam Sipontum a. 560 deductam auctamque deinde a. 568 (Liv. 39, 23); quamquam quid de ea lex haec statuerit, non divino.

XLIV. Iudicium videtur intellegi id, de quo v. 33. 34 cautum est.

II. DE AGRO PVBLICO P. R. IN AFRICA.

Genera agrorum quae in hac legis parte memorantur, sunt ni fallor tria, quae coniuncta omnia et suo ordine composita inveniuntur v. 79 sq., agri privati iure Quiritium, agri privati iure peregrino, agri publici populi Romani. Videamus de singulis.

I. *Ager privatus ex iure Quiritium* est ager colonicus agiturque de eo huius legis v. 45. 55. 59—61. 66—69. 79. 89. Pertinere eum ad coloniam C. Graccho auctore a. u. c. 631 Carthaginem deductam vel inde sequitur, quod ante C. Caesarem aliam nullam in Africam provinciam deductam esse constat; iuvabitque hoc loco repraesentare quae apud auctores de colonia ea inveniuntur. Plutarch. C. Gracch. 10: *Ῥουβρίου τῶν συναρχόντων* (scilicet C. Graccho tribuno pl.) *ἑνὸς οἰκίζεσθαι Καρχηδόνα γράψαντος ἀνῃρημένην ὑπὸ Σκιπίωνος, κλήρῳ λαχὼν ὁ Γάϊος ἐξέπλευσεν εἰς Λιβύην ἐπὶ τὸν κατοικισμόν. — —* c. 11. *Ἐν δὲ τῇ Λιβύῃ περὶ τὸν τῆς Καρχηδόνος κατοικισμόν, ἣν ὁ Γάϊος Ἰουνωνίαν, ὅπερ ἐστὶν Ἡραίαν, ὠνόμασε, πολλὰ κωλύματα γενέσθαι παρὰ τοῦ δαιμονίου λέγουσιν. Ἥ τε γὰρ πρώτη σημαία, πνεύματος*

ἁφαρπάζοντος αὐτὴν, τοῦ δὲ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου, συνετρίβη, καὶ τὰ ἱερὰ τοῖς βωμοῖς ἐπικείμενα διεσκέδασεν ἀνέμου θύελλα καὶ διέῤῥιψεν ὑπὲρ τοὺς ὅρους τῆς γεγενημένης ὑπογραφῆς, αὐτοὺς δὲ τοὺς ὅρους ἀνέσπασαν ἐπελθόντες λύκοι καὶ μακρὰν ᾤχοντο φέροντες. Οὐ μὴν ἀλλὰ πάντα συντάξας καὶ διακοσμήσας ὁ Γάϊος ἡμέραις ἑβδομήκοντα ταῖς πάσαις ἐπανῆλθεν — — c. 13 καὶ τὸν Ὀπίμιον καταστήσαντες ὕπατον τῶν νόμων πολλοὺς διέγραφον καὶ τὴν Καρχηδόνος ἐκίνουν διάταξιν — — Ἦι δ' οὖν ἔμελλον ἡμέρᾳ τοὺς νόμους λύσειν οἱ περὶ τὸν Ὀπίμιον (tumultu orto comitia nulla fuerunt et paulo post Gaius interfectus est). — Appianus b. c. 1, 24: *ὁ δὲ* (C. Gracchus) *ἐς Λιβύην, ἅμα Φουλβίῳ Φλάκκῳ, κἀκείνῳ μεθ' ὑπατείαν διὰ τάδε δημαρχεῖν ἑλομένῳ, διέπλευσεν, ἐψηφισμένης κατὰ δόξαν εὐκαρπίας ἐς Λιβύην ἀποικίας, καὶ τῶνδε αὐτῶν οἰκιστῶν ἐπίτηδες ἠρημένων, ἵνα μικρὸν ἀποδημιούντων ἀναπαύσαιτο ἡ βουλὴ τῆς δημοκοπίας. οἱ δὲ τῇ ἀποικίᾳ τὴν πόλιν διέγραφον ἔνθα ποτὲ ἦν ἡ Καρχηδονίων· οὐδὲν φροντίσαντες, ὅτι Σκιπίων αὐτὴν, ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο ἐς αἰεὶ μηλόβοτον εἶναι. διέγραφον δ' ἐς ἑξακισχιλίους, ἀντὶ ἐλαττόνων τῶν ὄντων ἐν τῷ νόμῳ, ὡς καὶ τῷδε τὸν δῆμον ὑπαξόμενοι. ἐπανελθόντες τε ἐς Ῥώμην, συνεκάλουν ἐξ ὅλης Ἰταλίας τοὺς ἑξακισχιλίους. Ἐπιστειλάντων δὲ τῶν ἐν Λιβύῃ τὴν πόλιν ἔτι διαγραφόντων, ὅτι λύκοι τοὺς ὅρους Γράκχου τε καὶ Φουλβίου διέῤῥιψαν ἀνασπάσαντες, καὶ τῶν μάντεων τὴν ἀποικίαν ἡγουμένων ἀπαίσιον, ἡ μὲν βουλὴ προέγραφεν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ τὸν νόμον ἔμελλε τὸν περὶ τῆσδε τῆς ἀποικίας λύσειν, ὁ δὲ Γράκχος καὶ ὁ Φούλβιος, ἐπεὶ καὶ τοῦδε ἐξέπιπτον, μεμηνόσιν ἐοικότες, ἐγεῦσθαι τὴν βουλὴν ἔφασκον περὶ τῶν λύκων.* Idem Pun. 136: *Γαΐου Γράκχου δημαρχοῦντος ἐν Ῥώμῃ — ἔδοξε κληρούχους ἐς Λιβύην πέμπειν ἑξακισχιλίους· διαγραφομένων δ' ἀμφὶ τὴν Καρχηδόνα τῶν θεμελίων, λύκοι τὰ θεμέλια ἀθρόα διέσπασαν καὶ συνέχεαν. καὶ τότε μὲν ἀνέσχεν ἡ βουλὴ τοῦ συνοικισμοῦ.* Vell. 1, 15, 4: *Post annum* (id est anno 631) *— Carthago in Africa prima — extra Italiam colonia condita est.* 2, 6, 3 (C. Gracchus) *novis coloniis replebat provincias.* 2, 7, 7 (C. Gracchus) *extra Italiam colonias posuit — — Prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.* Fronto ad Verum imp. initio (p. 125 ed. Naber): *Gracchus — Carthaginem viritim dividebat.* Solin. 27, 11: (Carthago) *a C. Graccho colonis Italicis data et Iunonia dicta.* Liv. ep. 60: *C. Gracchus — continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis, quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit.* Eutrop. 4, 21: *L.* (sic codd.) *Caecilio Metello et T. Quinctio Flaminino cos. Carthago in Africa iussu senatus reparata est annis duobus et viginti postquam a Scipione fuerat eversa. Deducti eo sunt*

cives Romani. Oros. 5, 12, 1: *L.* (sic codd.) *Caecilio Metello et Q. Titio Flaminino cos.* (a. 631) *Carthago in Africa restitui iussa vicensimo secundo demum anno quam fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis, quae eam incolerent, restituta et repleta est magno ante prodigio praecedente. Nam cum mensores ad limitandum Carthaginiensem agrum missi stipites, terminorum indices, fixos nocte a lupis revulsos mordicus conrososque reperissent, aliquamdiu haesitatum est, utrum Romanae paci expediret Carthaginem reformari. — — Minucius tribunus plebi cum maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta convulsisset legesque abrogasset, C. Gracchus — Capitolium ascendit.* Hausit ex eodem auctore, quem excerpsit Eutropius, ex Livio quippe, notabilisque est utriusque in falso praenomine consensus. Obseq. 33: *L. Opimio Q. Fabio Maximo cos.* (a. 633) *grex luporum limites, qui in agrorum divisione per C. Gracchum depositi erant, dissipavit.* Flor. 2, 3, 4: *C. Gracchus — obrogare auso legibus suis Minucio tribuno — Capitolium invasit.* Vict. 65: *Minucio Rufo tribuno plebis legibus suis obrogante in Capitolium venit.* Sallust. Iug. 42: *nobilitas . . . . Gaium (Gracchum) . . . . triumvirum coloniis deducundis . . . necaverat.* Ex oratione C. Gracchi *de lege Minucia* quaedam citat Festus (v. osi sunt p. 201 Müll.). Rubrius[1] igitur tr. pl. a. 631 (Vell., Eutrop., Oros.) legem tulit de colonis certo numero deducendis Carthaginem IIIvirisque ad eam rem creandis; qua perlata creati sunt C. Gracchus, M. Fulvius Flaccus tertiusque, qui ignoratur et deducti a. 632 colonorum civium Romanorum ad sex milia, quamquam lex minorem numerum sanxerat. At cum oppidum illud conditum esset in eo loco, ubi quondam Carthago fuerat, quem ne quis ibi habitaret P. Scipio imperator carmine sollemni iure devoverat, accederentque praeterea dira omina, a. 633 Minucius Rufus tr. pl. legem de nova colonia tollenda promulgavit itaque sublata est, sive quod post Gracchi caedem Minucius legem perrogavit, sive quod lex Rubria ut contra auspicia lata abrogata est senatus consulto (cf. Ascon. in Cornel. p. 68). Quibuscum quae ex lege agraria a. 643 supersunt ita conveniunt, ut pleraque de colonia ea Iunonia aliunde ignota inde accedant. Legis Rubriae mentio fit v. 59 neque dubium est quicquid de colonis in Africam deductis in lege agraria caveatur ad eandem legem pertinere; nam quod altera lege, quam Baebiam (v. 43) esse volunt, colonorum numerum auctum esse Rudorffius Huschkiusque sibi persuaserunt, Appiani certe testimonio contrarium

1) Rubrii tr. pl. a. 631 praenomen et cognomen ignorantur; nam qui idem plerisque creditur Q. Rubrius Varro a. 666 a senatu hostis cum C. Mario iudicatus (Cic. Brut. 45, 168) mihi videtur postea vixisse et illius potius filius fuisse.

est, qui supra legitimum numerum colonos a C. Graccho adscriptos esse refert idque ipsum legis huius cautela v. 59. 60 aperte innuit. Peius etiam Zumptius (comm. epigr. 1, 218) lege Rubria sublata agros colonis datos confirmatos esse coniecit lege Baebia; hoc enim eo excluditur, quod M. Baebius IIIvir fuit coloniae deducendae. Formula legis *in coloniam coloniasve deduci* (v. 61) fortasse eo pertinet, quod lege Rubria complures in Africa coloniae constitui iubebantur, licet in sola Carthagine IIIviri illi substiterint adeoque ne eam quidem perficere potuerint. Certe praeter hunc legis locum eodem ducit praeter Vellei, testis in eiusmodi quaestione non satis idonei, colonias transmarinas Gracchanas Sallustii proprietatum in verbis, ut Gellius ait, retinentissimi locus, ubi Ti. Gracchum tribunum, Gaium IIIvirum coloniis deducundis interfectum narrat; nam coloniis Italis deducendis num Gaius ipse a. adhuc 633 triumvir fuerit, admodum dubium est (v. supra p. 98) neque videtur Sallustius cogitavisse nisi de coloniis Africanis. Quot iugera lege Rubria colonis data sint, auctores non tradiderunt; lex (v. 59. 60) CC iugera data esse refert, sed ita, ut duo genera colonorum distinguere videatur, qui diversum agri modum acceperint. Cf. Liv. 35, 9 de colonia deducta Copiam a. 562: *dari potuere tricena iugera in pedites, sexagena in equites — — vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt;* Liv. 35, 40 de colonia deducta Vibonem a. 563: *quina dena iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equiti;* Liv. 37, 57 de colonia deducta Bononiam a. 565: *equitibus septuagena iugera, ceteris colonis quinquagena sunt data.* Adde huc legem Appuleiam, ex qua a. 654 colonis centena agri iugera in Africa dividi debuerunt (Vict. vir. ill. 73). Iam non sine causa suspicabere colonorum lege Rubria duo genera fuisse, quorum alterum magis honoratum CC iugera acceperit, alterum modum minorem; neque modus ille in agro transmarino nimius videtur esse, cum in ipsa Italia multo ante ad septuagena iugera, lege Caesariana autem et triumvirali in Italia fere ducena, extra Italiam ad quadringena (Rudorff *Feldm.* 2, 352) adsignata reperiantur[1]. Praeter centurias ex subsicivis quoque quaedam data adsignata esse v. 66 significat neque est, cur miremur in primam hanc adsignationem venisse partem subsecivorum, quae in posteriorem saepe venerint

1) Rudorffius (p. 110) quod in lege cautum esse credidit, ne cui colono plus adsignatum esse iudicaretur, quam accepisset, cui ex lege Rubria maximus agri modus destinaretur, non probo; ita enim non satis cavisset legis huius scriptor de eo, qui agrum maiorem quam ex lege sibi debitum, maximo tamen minorem accepisset; neque obliviscendum est colonis agrum dari sortito (v. 3; Rudorff *Feldm.* 2, 366).

(Rudorff *Feldm.* 2, 392). — Ad coloniam pertinent quoque quae de viis leguntur v. 89: *[quae viae in eo] agro ante quam Cartago capta est fuerunt, eae omnes publicae sunto;* consentit Siculus Flaccus p. 157 Lachm. (cf. Hygin. p. 120): *[semper] auctores divisionis adsignationisque leges quasdam colonis describunt, ut qui agri delubris sepulchrisve publicisque solis itineris viae actus ambitus ductusque aquarum*[1] *utilitatibus servierint ad id usque tempus, quo agri divisiones fierent, in eadem condicione essent qua ante fuerant.* Ceterum Servius ad Aen. I 422 (unde Isidorus orig. 15, 16, 6): *primi,* inquit, *Poeni dicuntur lapidibus vias stravisse.* — Item quod lex addit *limitesque inter centurias . . . .,* quamquam reliqua desunt, tamen aperte spectat eo, ut limites coloniae Iunoniae in viarum publicarum numero maneant. Quod lege Augusti obtinuit, decimanum latum esse oportere pedes XL, kardinem p. XX, limitem a decimano et kardine quintum quemque sive quintarios p. XII, ceteros sive subruncivos p. VIII (Gromat. p. 194. 212), idem fere iam in lege Rubria videtur fuisse; nam quod postea in provinciis obtinuit, ut subruncivi limites lineari tantum sine latitudine itaque non in viarum numero essent (Hygin. p. 168), id ad hanc aetatem minime rettulerim. Colonos Carthaginem deductos esse cives Romanos Eutropius Orosiusque Livio auctore tradunt; quod si inter colonos admissi sunt Latini nominis homines, quod fortasse Appianus innuit (nam legis v. 50, quem Zumptius comm. epigr. 1, 218 huc revocavit, agi de agro privato vectigalique facile intellegitur), una cum agro civitatem acceperint necesse est; ut similiter lex Appuleia, cum C. Marium colonias complures deducere iuberet, eidem in singulas ternos cives Romanos facere permisit (Cic. pro Balbo 21, 48). Agrum Africanum ex lege Rubria civium Romanorum factum privatum fuisse ex iure Quiritium certissimum est, quamquam Rudorffius (p. 121) de dominio provinciali cogitavit. Nam agrum in provincia situm fieri potuisse dominorum ex iure Quiritium idem Rudorffius rectissime docuit (*Feldm.* 2, 373) estque haec condicio agri, quae postea *ius Italicum* appellatur; hac vero aetate quicquid civis Romani iure fuit, eius fuit ex iure Quiritium nec nisi multo posteriore iureconsulti invenerunt agrum a populo Romano civi Romano ita dari posse, ut eius esset iure peregrino. — Haec fere sunt, quae de ipsa lege Rubria ex his reliquiis eruuntur; restat ut investigemus, quid post caesum C. Gracchum de ea lege adsignationeque Africana factum sit. Primum abrogatam esse legem Rubriam lex haec aperte testatur; hoc enim significare uno, ubi eam memorat, loco verba subiuncta

1) Codex hic repetit *quae publicis,* quod eieci.

quae fuit optime perspexit Rudorffius (p. 100). Comparari potest formula senatus consulti (Cic. apud Ascon. in Cornel. p. 68): *quae lex lata esse videatur, ea non videri populum teneri;* neque audiendus Huschkius (p. 603), contrariam huic et plane perversam sententiam in hoc adiuncto nescio quo modo investigans. Ob eam ipsam causam semper scribitur *colonus queive in colonorum numero est* (v. 45. 55. 59. 60. 66. 68) vel adeo *est fuitve* (v. 67 cf. v. 68); nam ut qui proprie non est dediticius, sed dediticius esse fingitur, dicitur *dediticiorum numero,* item *maritorum numero* (aes Malacit. c. 56), qui iura mariti habet neque maritus est, ita deducti lege Rubria, quae nulla est, cum vere coloni non sint, tamen in colonorum numero putantur esse. Idem significare quod in hac lege tam *adsignatum esse* (v. 55. 62. 91. 93) reperitur quam *adsignatum esse fuisseve* (v. 44. 57. 61) vel *adsignatum fuisse* (v. 60. 68. 91), vix crediderim; nam similiter etiam decemviri ex lege Livia creati modo scribuntur *facti esse fuisseve* (v. 77), modo *facti fuisse* (v. 81) neque aliud videtur subesse nisi quod scriptor legis, cum *adsignatum esse, factum esse* proprie de eo accipi intellegeret, qui in eodem statu ad praesens usque tempus mansisset, addidit *fuisseve,* ut et agros comprehenderet olim adsignatos neque tamen amplius eius, cui adsignati essent, et magistratus olim factos, sed qui ante hanc legem rogatam magistratu abiissent. Ceterum praeter haec exempla ex una lege desumpta mihi aliud nullum praesto est copulatorum perfectorum temporis praesentis praeteritique ac ne is quidem, qui de hoc loco omnium optime disputavit, Madvigius (opusc. 2, 218 sq.) ad haec nostra animum advertit. — At quamquam lege Rubria populum non teneri senatui visum est, tamen agros ex ea datos adsignatos colonis adimi non placuit. Urbem enim solam Scipio devovit, ut in ruinis in aeternum maneret, et ea ne resurgeret, optimates laborabant; itaque aedificiis destinata loca auferre necesse fuit, qua de re ipsa alicubi in lege hac cautum fuisse recte Huschkius iudicavit. Contra de agro publico in provincia Africa populi liberum arbitrium et esse et fuisse semper nemo negabat neque senatus magnopere intererat agro publico, quem Gracchus in Africa diviserat, rursus potiri; quare satius visum est iura lege Rubria privatis quaesita non conturbare neque eiusmodi odia concitare. Mansit igitur ager datus adsignatus, quem lex Rubria dari adsignari iusserat, sed ex colonico qui fuit sublato oppido quodammodo viritani similis factus est; de quo discrimine supra p. 99 sq. expositum est. — Hunc agrum qui accepit, apud Ilvirum ex edicto eius eum profiteri oportet vel ipsum vel procuratorem heredem emptoremve; de qua professione pauca

tantum et lacera in lege remanserunt (v. ad v. 52). Qui non professus sit, ei agrum adsignatum non esse neque fuisse IIvir iubetur iudicare (v. 57); contra quem colonum intra numerum lege Rubria permissum (quo arcentur coloni ultra eum a C. Graccho adscripti) modum agri quantum ex lege Rubria dare licuit neque maiorem accepisse IIviro planum factum est, ei IIvir agrum (datum) adsignatum esse (fuisseve) iudicat (v. 57. 60. 61. 62. 68). Adiudicandi vocabulo in hac re lex numquam utitur, nam quae loca contra attulit Rudorffius (p. 111) v. 62 et 69 (cf. v. 90), prioris sententia ambigua est, in altero vero agitur de agro privato vectigalique adiudicando; potuitque omnino de agro ex lege Rubria dato adsignato ex hac lege iudicari, adiudicari non potuit. Denique licet IIviro, ubi ager colono datus nihilo minus pro publico Romae veniit, emptori quidem agrum, qui coloni fuit, adiudicare, colono autem emptorive eius tantundem modum agri reddere (v. 66—69; cf. v. 79. 91). Ager ita pro colonico commutatus redditusve eodem iure fit coloni quo vere colonicus eius fuerat; cf. Hygin. p. 117: *divisi et adsignati agri sunt qui — per centurias certo modo adscripto aut dati sunt aut redditi quive veteribus possessoribus redditi commutatique pro suis sunt.*

II. *Ager privatus ex iure peregrino* est ager populorum liberorum et amicorum populi Romani septem Uticensium, Hadrumetinorum (huius enim nominis certa coniectura a Rudorffio v. 79 restituti prima littera postea in ipso aere reperta est), Tampsitanorum, Leptitanorum, Aquillitanorum, Usalitanorum, Teudalensium, denique perfugarum (v. 75. 76. 79. 80. 85). Quos solos in Africa incipiente bello Punico tertio in amicitia populi Romani mansisse et aes indicat et luculenter confirmat Appianus (Pun. 94), de commeatu Romanos Carthaginem obsidentes valde sibi timuisse narrans *ἐκ μόνης ἔχοντας Ἀδρυμητοῦ καὶ Λέπτεως καὶ Θάψου* (codd. *Σαξοῦ*) *καὶ Ἰτύκης καὶ Ἀχόλλης* (codd. *Χόλλης*)· *τὰ γὰρ δὴ λοιπὰ Λιβύης ἦν ἔτι πάντα ὑπὸ Ἀσδρούβᾳ.* Pro eo beneficio etsi ad foedus non sunt admissi, tamen acceperunt libertatem et immunitatem; hanc enim iure publico libertate comprehendi alibi demonstrabimus. Oppida illa septem nota sunt omnia Utica, quae vel ante coeptum bellum in fidem venit (Polyb. 36, 1. Liv. 49. Appian Pun. 75) et adhuc Ciceronis (pro Scauro 44) aetate appellatur *amica populo Romano ac libera ciritas,* facta deinde lege Iulia Caesaris ut videtur Latini iuris municipium (Caesar b. c. 2, 36; bell. Afr. 87; hist. mea Roman. 3^9, 555), mox ab Augusto municipium civium Romanorum (Dio. 49, 16, 1; Plinius h. n. 5, 4, 24; C. I. L. VIII p. 149); Hadrumetum, tum quoque cum scriptus est laterculus Plinianus (5, 4, 25) oppidum liberum; Thapsus,

cuius cives in lege Tampsitani dicuntur, item oppidum liberum teste eodem: Leptis minor, civitas libera et immunis adhuc aetate Caesariana (bell. Afric. 7), oppidum liberum teste laterculo Pliniano: Achulla, quae ita suum nomen nummis (Eckhel 4, 133) inscripsit, cum Graecis recentioribusque Latinis Acholla fere dicatur, Latinis antiquioribus (bell. Afric. c. 33. 43. 67; Liv. 33, 48) Acylla, ut in lege hac Aquilla, civitas libera et immunis vel aetate Caesaris teste auctore belli Africani c. 33, oppidum liberum teste laterculo Pliniano (5, 4. 30): Usalis, quae Uzalis Plinio (5, 4, 29), Uszalis in titulo urbano VI. 2564, Usilla Ptolemaeo (4, 3, 10) et in tabula Peutingeriana. Usula in itinerario (p. 59 Wess.) appellatur, quo tempore scriptus est laterculus Plinianus iuris Latini; quae omnia maritima sunt et iusto ordine ab occidente in orientem enumerantur, nisi quod Leptis et Thapsus invertuntur. Una mediterranea et loco longe distante prope Hipponem Diarrhytum sita Theudalis est (Plin. 5. 4, 23. Ptolem. 4, 3, 31), et ipsum immune oppidum teste laterculo Pliniano. Apparet praeter duo ad melius ius evecta oppida Uticam et Usalim quinque reliqua post Augustum quoque in suo statu mansisse. — Eodem cum populis liberis loco perfugae sunt, id est, ut bene monuit Rudorffius (p. 103), Himilco Phamaeas, qui cum praefectus equitum Carthaginiensium (Liv. ep. 50; *ἵππαρχος τῶν Λιβύων*, App. Pun. 100 cf. 97; Zonar. 9, 27. 6) esset, ad Scipionem cum Afrorum duobus milibus et ducentis transiit Romamque cum eodem profectus a senatu lautis donis exceptus est maioribus promissis, si ad finem belli Romanis fortem et fidelem operam navasset (App. l. c. c. 109). Quae mox persoluta sunt; nam perfugis agros datos adsignatos esse lex refert (v. 76) videnturque hi suam rem publicam habuisse ad exemplum populorum liberorum. — Quod ad condicionem eorum agrorum attinet, qui intra fines populorum liberorum tum fuerunt, cum proxime ante hanc legem rogatam in amicitiam populi Romani venerunt (ita enim diserte cautum est v. 80) quive perfugis dati adsignati sunt, meliore eos iure fuisse quam agros publicos populi Romani, qui populis amicis utendi concessi essent, vel locus ostendit, quo in ordine agrorum v. 89. 90 collocantur, et discrimen factum inter agrum qui Uticensium fuit cum in amicitiam populi Romani venerunt eumque quem populus postea Uticensibus permisit (v. 81). Omnino huc pertinet nota formula (cf. Marquardt *Handb.* 4, 78. 252) libertatis a populo Romano civitatibus subditis concessae, qua urbs agri legesque suae restitui solent; ut est in lege Antonia de Termessibus liberis amicis sociisque populi Romani 1, 12 sq.: *quei agrei quae loca aedificia publica priuatave Thermensium — intra*

fincis eorum sunt fueruntve L. Marcio Sex. Iulio cos. — — quodque earum rerum ieis consulibus ici habuerunt possederunt usci fructeique sunt, quae de ieis rebus locata non sunt — — — — ea omnia Thermeses — habeant possideant cet. Idque ipsum Carthaginiensibus, cum Uticensium exemplum secuti se suaque omnia Romanis dedissent, promissum est: *δίδωσιν αὐτοῖς ἡ σύγκλητος τήν τ' ἐλευθερίαν καὶ τοὺς νόμους, ἔτι δὲ τὴν χώραν ἅπασαν καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων κτῆσιν καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν* (Polyb. 36, 2. cf. Diodor. p. 627; Appian. Pun. 76). Solum igitur in civitate libera non populi Romani fuit, sed ipsius civitatis eamque ipsam ob causam ab illo locari non potuit. Recte igitur, ubi de vectigalibus in hac lege cavetur, excipitur qui ager populorum liberorum, perfugarum fuit (v. 85). Easdem civitates immunes quoque fuisse quamquam ex ipsa libertate colligi non potest (v. Marquardt *Handb.* 4, 79), tamen efficitur ex testimonio scriptoris belli Africani quod supra rettulimus de Lepti et Acholla.

III. *Ager publicus populi Romani* est quicquid praeter duo genera supra exposita intra fines provinciae comprehenditur, eoque populus aut ipse utitur, ut fit in viis similibusque, aut vectigal inde redigit, quam ob rem cum illud genus recte neglegatur, ager publicus populi Romani item dici potest *rectigalis*. Sunt tamen huius ipsius vectigalis agri condiciones admodum diversae, quas restat explicare.

1. *Ager privatus vectigalisque* (v. 49. 66) is est, quem ex hac lege quaestor praetorve populi Romani Romae ita vendidit, ut eum emptori et vendere et ad heredem transmittere liceret, maneret tamen populi vectigalque inde aerario penderetur. De quo genere agri, qui alibi (Hygin. p. 115. 125. 152) *quaestorius* dicitur, ita Rudorffius exposuit (*Feldm.* 2, p. 285—288. 315—318), ut ad eum remittere malim quam eum compilare. Ad hanc legem quod attinet, eiusmodi ager in hac legis parte Africana numquam dicitur *datus adsignatus*, quamquam non solum de colonico sed etiam de peregrino (v. 76) stipendiarioque (v. 77. 80) locutio ea usurpatur, sed plerumque *emptus* (v. 45. 47. 57. 65) opponiturque *adsignato* (v. 57: cf. Cic. de l. agr. 3, 3, 12). Idem dicitur *ex hac lege civis Romani factus* (v. 76) vel *ex hac lege privatus factus* (v. 80): plenissime denique condicio eius enuntiatur his verbis: *emptus esto et privatus vectigalisque ita, uti in hac lege scriptum est, esto* (v. 66. cf. v. 49). Quae quomodo explicanda sint, ex superioribus apparet. *Adiudicari* hunc agrum a IIviro emptori supra iam vidimus (v. 69: cf. v. 62. 90), quamquam reperitur praeterea, ubi emptio cum adsignatione con-

iungitur, eum *emptum iudicari* (v. 57). Ad heredem eum agrum transire venumdarique posse intellegitur ex v. 49. 63—66 quamvis laceris reliquiis, ubi praecipue notanda formula emendi ab eo, *cuius eius agri hominis privati venditio fuerit* (v. 63). De ipsa emptione alibi disputabitur veramque eam fere fuisse ostendetur; vectigal contra non videtur impositum esse nisi testandi causa agrum populi manere. Sic in trientabulis, quae a. 554 pro pecunia populo credita in solutum dabantur aestimata, *in iugera asses testandi causa publicum agrum esse* impositi sunt (Liv. 31, 13) idemque obtinuisse in omni agro quaestorio verisimile est propterea, quod auctores gromatici quaestorios agros cum agris vectigalibus subiectis ita componunt, ut ab his tamen distinguant (Hygin. p. 115 sq. 125. 131) eosdemque oblitteratis legibus a venditoribus impositis fere in occupatoriorum condicionem abiisse tradunt (Hygin. p. 116. Siculus p. 154). Nam vectigal certum et verum, quale de agris proprie vectigalibus solvitur, quomodo ubivis oblitterari potuerit, difficile intellegitur, quod contra est ut in occupatoriis vectigali vero, sed incerto obnoxiis, ita in quaestoriis, si quidem eorum vectigal certum quidem, sed non verum fuit. Denique lex haec vix agri privati vectigalisque vectigal admittit nisi imaginarium et iuris tantum testandi gratia impositum; neque enim verbum ullum reperitur quomodo cuive vectigal solvatur, quid denique fiat vectigali non soluto, adeoque quibusdam locis (v. 80—82. 83) ager privatus vectigalisque vere vectigali ita opponitur, ut ad similitudinem vere privati illum proxime accessisse perspicuum sit. — Quod si igitur agri quaestorii haec condicio fuit, ut a privato iure magis quam re differret, quaeritur, cur maluerint Romani subinde agrum ita vendere quam antiquo more dividere et adsignare. Et possunt quidem eius rei plures causae probabiles cogitari, ut est illa, ad agrum dividendum et adsignandum lege opus fuisse videri, ad vendendum eum suffecisse senatus consultum (cf. Cic. de l. agr. 2, 14, 35); maxime tamen eiusmodi venditionem in publicis negotiis ibi locum habuisse crediderim, ubi privati ad fiduciam decurrebant, neque in trientabulis solis, sed in agris venditis plerisque subesse aliquod debitum a populo Romano adversus privatos ita contractum, ut fructus agri pro usuris procederent, ipse ager apud creditorem tanquam pignoris loco esset. Universum tamen ius fiduciarium ad publicum hoc negotium rettulerim minime neque umquam debito publico ad certum tempus non soluto ager creditori permissus populi nomine a creditore distractus est, vel ex lege commissoria pleno iure eius factus; sed quamquam in publicis istis venditionibus pretium ab emptore solutum crediti fere loco videtur

fuisse, tamen secundum legem contractus, quam in huiusmodi negotiis variam fuisse non est cur dubitemus, modo creditori ius pecuniae petendae adimi potuit, modo debitori ius pecuniae solvendae agrique recipiendi, ut similibus pactis debita publica a privatis hodie solent differre.

2. *Ager publicus stipendiariis datus adsignatus* bis commemoratur in lege v. 77. 80 praetereaque apud scriptores de eo haec inveniuntur. Cic. in Verr. 3, 6, 12: *inter Siciliam ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Poenorum quasi victoriae praemium ac poena belli, aut censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia.* Alibi apud eundem (pro Balbo 9, 24. 18, 41) socii opponuntur stipendiariis his, Gaditani foederati *Afris Sardis Hispanis agris stipendioque multatis.* Appian. Pun. 135: *δέκα δὲ σφῶν αὐτῶν ἡ βουλὴ τοὺς ἀρίστους ἔπεμπε διαθησομένους Λιβύην μετὰ Σκιπίωνος ἐς τὸ Ῥωμαίων συμφέρον* (cf. Cic. de lege agr. 2, 19, 51: *Karthaginem — P. Africanus — de consilii sententia consecravit*). Postquam quid de Karthagine ipsa decreverint exposuit, ita pergit: *ὅσαι δὲ πόλεις συνεμεμαχήκεσαν τοῖς πολεμίοις ἐπιμόνως, ἔδοξε καθελεῖν ἁπάσας· καὶ ὅσαι Ῥωμαίοις ἐβεβοηθήκεσαν, χώραν ἔδωκαν ἑκάστῃ τῆς δορικτήτου, καὶ πρῶτον μάλιστα Ἰτυκαίοις τὴν μέχρι Καρχηδόνος αὐτῆς καὶ Ἱππῶνος ἐπὶ θάτερα· τοῖς δὲ λοιποῖς φόρον ὥρισαν ἐπὶ τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ ὁμοίως· καὶ στρατηγὸν ἐτήσιον αὐτοῖς ἐκ Ῥώμης ἐπιπέμπειν ἔκριναν. Οἱ μὲν δὴ ταῦτα προστάξαντες ἀπέπλεον ἐς Ῥώμην· ὁ δὲ Σκιπίων ἐποίει τὰ δόξαντα.* Cum his Appiani verbis qui contulerit quod legimus in lege Xviros ex lege Livia factos Uticensibus agrum publicum populi Romani adsignavisse (v. 81) eosdemque Xviros hominibus stipendiariis agrum dedisse adsignavisse (v. 77), non negabit ad primam, quae post captam Carthaginem a. 608 facta sit, provinciae Africae constitutionem et ordinationem haec respicere eamque igitur ex lege Livia descendere aliunde ignota; mirumque est Rudorffium (p. 104), quamquam similitudinem senserit, tamen maluisse manere in opinione antiquiorum legem Liviam ad M. Drusum tr. pl. a. 632 referentium, quem de agro Africano quicquam rogasse nec traditum est neque omnino verisimile, quam explicationem illam de qua diximus amplecti tanto rerum consensu commendatam. Nam quod Xviros Appianus ex senatus consulto factos esse narrat, cum lex eos ex lege Livia creatos scribat, haec quidem facile inter se conciliantur. Ut enim antiquo more de pace ordinanda tractatus ad populum non spectabat, sed iure ad imperatorem, re ad senatum,

qui eius rei causa imperatori decem hominum senatorii ordinis consilium adiungere solitus esset (v. Marquardt *Handb.* 4, 500; *Staatsrecht* 2³, 643. 692 sq.; Appian. Hisp. 99), ita ea de qua agimus aetate fieri potuit, ut haec quoque res aliquatenus ad populum reiceretur. Similiter post primum Punicum bellum cum pacem tribus de ea interrogatae improbassent, *ὁ δῆμος ἐξαπέστειλεν ἄνδρας δέκα τοὺς ἐπισκεψομένους ἐπὶ τῶν πραγμάτων* (Polyb. 1, 63); deinde post bellum Hannibalicum cum plebs scivisset, ut senatus decerneret de pace pacemque eam P. Scipio daret, ex hac rogatione senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem faceret; denique post bellum Mithridaticum postremum P. Servilius Rullus ad populum tulit de Xviris per populum creandis, quibus quamquam ius multo amplius maiorque honor destinabatur, tamen primum praecipuumque negotium dabatur hoc, ut quae more maiorum imperator exercitus Asiatici cum consilio decem hominum a senatu constituto ordinaturus fuisset, iam decemviri ex lege Servilia creati ordinarent. Eamque ipsam ob causam et hunc numerum omnino insolitum Servilio placuisse existimo et cavisse eum, ne per XXXV tribus, sed per minorem partem populi Xviri crearentur; iure enim legatorum creatio senatus erat, ut sacerdotum nominatio collegiorum, neutraque palam populo videbatur posse concedi. Quam ob rem Xviros ad Scipionem missos legatorum consiliique loco nec magistratus fuisse et a senatu, non a populo nominatos esse minime ambigendum est; neque tamen quicquam impedit, quo minus ea creatio sub certis fortasse condicionibus senatui permissa sit aliquo plebiscito. De auctore legis non constat; certe de C. Livio Druso cos. a. 607 cogitari non debet, cum lex illa neque ante captam Carthaginem ferri potuerit neque consularis, sed tribunicia potius fuisse videatur. — De iure et condicione agri stipendiariis hominibus attributi Rudorffius (Thor. p. 94; *Feldm.* 2, 316) varie neque plane recte videtur iudicasse. Est autem ager stipendiarius proprie provincia, qua civitates liberas accurato et iusto sermone non comprehendi et aliunde notum est (Marquardt *Handb.* 4, 72. 80; *Staatsr.* 3, 689) et de ipsa provincia Africa testatur Appianus loco supra relato. Iam ut civitatis liberae hoc proprium esse vidimus, ut agrum suum habeat, ita e contrario *in provinciali solo,* Gaius ait (2, 7), *dominium populi Romani est, nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur* (cf. Frontinus p. 36). Quod ipsum de Africano agro et Cicero scribit, narrans agro stipendioque Afros multatos esse, et lex haec confirmat; recensetur enim ager stipendiarius in numero publicorum (v. 80), ipsaque formula, qua praeceptum de commutando temperatur v. 78, ut ita fiat, uti Ilviro e

re publica esse videatur, eo spectat, quod horum agrorum possessores perpetuitatem ususfructus non iure videantur tueri, sed sola aequitate. Quare quamquam stipendio non soluto plerumque id ab iis peti solet, non ager auferri (Rudorff. *Feldm.* 2, 317), tamen quo iure vel non soluto vel etiam recte soluto stipendio quominus suum recipiat eoque alia ratione uti incipiat populus impediatur, non perspicio omninoque horum agrorum possessores eadem fere condicione fuisse mihi persuadeo, qua fuerunt qui in Italia agrum publicum permittente vel sinente populo occupassent. Denique quod in lege non inveniuntur civitates stipendiariae, sed homines stipendiarii (v. 77. 78. 80), factum est non sine causa. Nam cum civitatibus, quae primo quoque tempore ad Romanos descivissent, cum libertate ager restitueretur, eae autem, quae vi expugnatae essent, diruerentur, tertium genus earum civitatium, quae primo cum Carthaginiensibus stetissent, postea Romanis se dedissent (cf. Zonar. 9, 27, 6: *ἐπὶ τοὺς τῶν Καρχηδονίων συμμάχους ἐστράτευσαν καὶ πολλοὺς μὲν αὐτῶν βίᾳ, πολλοὺς δὲ ὁμολογίᾳ παρεστήσαντο.* App. Pun. 126), oppida quidem incolumia retinuit, sed soli ius iustumque civitatis statum perdidit. Similiter de Campanis Livius (26, 16): *quibusdam delendam censentibus urbem praevalidam propinquam inimicam — — urbs servata est — — ager omnis et tecta publica populi Romani facta — — placuit corpus nullum civitatis nec senatus nec plebis concilium nec magistratus esse.* — In formas publicas agrum stipendiarium relatum esse (v. 78) praeter legem gromatici tradunt (Rudorff *Feldm.* 2, 420).

3. *Agri publici regibus civitatibusve sociis et amicis permissi* duo genera in lege inveniuntur, ager, quem Scipio liberis regis Massinissae dedit habereve fruive iussit (v. 81) agerque, quem Xviri ex lege Livia facti Uticensibus reliquerunt adsignaverunt (v. 81), ibidemque praeterea agrum aliis civitatibus liberis concessum hiatus ingens qui sequitur potest hausisse. Et de hoc quidem agro supra iam attulimus Appiani testimonium; ad illum referendum est, quod ex Plinio h. n. 5, 4, 25 et Cicerone de lege agr. 1, 4. 10. 2, 22. 58 efficitur, P. Africanum minorem inter populum Romanum regesque Numidiae fines rexisse eumque agros quosdam in ora maritima populo Romano adiudicasset, eos mox permissu, ut videtur, Scipionis reges nihilo minus occupasse et deinde variis modis efficere temptavisse, ut de eorum possessione foedere sibi caveretur. Quo non facto licuit quidem populo Romano si vellet reges expellere agrosque quolibet tempore reciperare: hac tamen lege nihil eiusmodi secutum est, sed mansit per eam ager publicus populi Romani Numidiae

regibus populisque liberis concessus ea qua fuerat neque meliore neque deteriore condicione. Quod de liberis regis Massinissae lex loquitur neque reges qui tum erant nominat, utrum tangat sic controversias eius temporis de regum Numidiae successione, quae ipso quo lex lata est anno bellum Iugurthinum excitarunt, an quod magis credo verba repetat arbitrii inter filios Massinissae a Scipione lati, certa ratione non videtur posse definiri.

4. *Ager publicus populi Romani, ubi oppidum Carthago quondam fuit* (v. 81), hoc proprium habuit, quod P. Scipio eum de consilii sententia ad aeternam hominum memoriam consecravit (Cic. de l. agr. 1, 2, 5. 2, 19, 51) hac lege, ne unquam ibi habitaretur, sed in ruinis maneret in sempiternum. Appianus Pun. 135: (Xviri ex lege Livia facti) *Καρχηδόνος μὲν εἴ τι περίλοιπον ἔτι ἦν, ἔκριναν κατασκάψαι Σκιπίωνα καὶ οἰκεῖν αὐτὴν ἀπεῖπον ἅπασι· καὶ ἐπηράσαντο, μάλιστα περὶ τῆς Βύρσης, εἴ τις οἰκήσειεν αὐτὴν ἢ τὰ καλούμενα Μέγαρα· ἐπιβαίνειν δ' οὐκ ἀπεῖπον.* Idem b. c. 1, 24 Gracchum collegasque coloniam eo deduxisse scribit *οὐδὲν φροντίσαντας, ὅτι Σκιπίων αὐτὴν, ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο ἐς ἀεὶ μηλόβοτον εἶναι.* Zonar. 9, 30, 9: (Karthago) *πᾶσα ἄρδην ἀνάστατος γέγονε καὶ ἐπάρατον ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαί τινα.* Cum qua rerum gestarum memoria devotionis urbis Carthaginis carmen servatum a Macrobio sat. 3, 9 aegre conciliatur; nam ut mittamus in carmine devoveri quidem et consecrari urbem agrosque, neque tamen quod maximum est perpetuae vastitatis clausulam in eo inesse, item urbes, quas Macrobius ita devotas esse narrat, deletas quidem esse, sed tali habitandi colendique detestatione vix alligatas esse videri omnes, ut haec inquam mittamus, quomodo devotionis carmen illud, quod ante urbem expugnatam recitari debuisse apparet, conciliabitur cum testimoniis auctorum multo graviorum, qui post captam demum et incensam Carthaginem de consilii sententia Scipionem ea lege oppidi solum consecrasse rettulerunt? Sed utut est, hoc constat Carthaginem quae fuerit sive vulgari ea sive singulari quadam lege consecrationis (cf. Cic. l. c.) ab Africano aeternae solitudini destinatam esse; et re vera urbem in ruinis per saeculum fere iacuisse exulesque ibi et latrones latitasse apparet ex notissima de C. Mario narratione (Plutarch. Mar. 40. Vell. 2, 19). In hoc tamen vel erravisse videtur Appianus vel parum proprie locutus esse, quod altero loco deletum oppidum in pascuis populi Romani numerat; nam si pascere ibi licuisset, inopportune interdictum est de habitando et sine iusta causa observatum licuisse tamen ad locum accedere. Denique omnino devotionis illius gravitas et religio hoc flagitat, ut eo loco

damnatae in perpetuum memoriae ne quis deinceps in humanos usus abutatur neve in hisce ruinis neque habitet nec pascat quisquam nec falcem aratrumve inducat. Quod ipsum ex hac lege apparet. Hic enim ager si cum reliquis pascuis a censoribus locatus esset, minime ita, ut factum est v. 81, excipi debuit; sed recte exceptus est, si quidem ruinae illae sic iacebant, ut neque populo neque privato cuiquam deinceps prodessent.

5. *Viae publicae,* quae Carthaginis coloniaeve Gracchanae fuerunt, publicae populi Romani manent (v. 89).

6. *Ager* denique *publicus populi Romani a censoribus locari solitus* est is, qui neque civitatium liberarum est (II) neque stipendariis relictus (III, 2), sed Carthaginis ipsius fuit reliquarumve civitatium vi captarum alicuius, excepto cum Carthaginiensi intramurano (III, 4) tum eo qui post captam eam aut colonis datus (I) aut venditus (III, 1) aut sociis concessus (III, 3) aut publicis usibus destinatus est (III, 5). Quibus exceptionibus et maxime stipendiaria attributione quamquam maior pars agri publici in provincia Africa continebatur, tamen superfuisse ibi aliquantum agri, quod censores locarent, non obscure indicat Cicero et loco supra allato, ubi stipendiarium censoriumque agrum conferens *plerosque Poenorum* stipendium dare solere refert, et iis locis, ubi Karthaginem P. Servilii lege venire queritur (de lege agr. 1, 2, 5; 2, 19, 51); nam quamquam invidiose quae de agro intramurano vera sunt ad totam venditionem futuram Cicero trahit, certe non tam de intramurano perparvo Rullus cogitavit, sed praedia Africana a censoribus adhuc locari solita vendere sibi videtur proposuisse (cf. Cic. Verr. 3, 11, 27). Multoque minus de ea re dubitare sinit haec lex, quae a v. 78 fere ad 96 de censorio agro Africano agit. Nihilo tamen minus multa horum non satis hodie intelleguntur, ob eam maxime causam, quod lex censoria consularisque, quae ante hanc legem rogatam postrema dicta fuit a. 639 et 641, ita pro fundamento est huic nostrae, ut ad eam omnia referat. Ne hoc quidem satis apparet, quo modo qui eo agro utuntur fruuntur eum acceperint; nam quod in Italia plerumque evenit, ut sola occupatione patientiaque populi id perageretur, in provincia aliter actum videtur esse, cum in lege eiusmodi ager dicatur modo *ex senatus consulto datus adsignatus* (v. 93), quamquam hoc fortasse ad horum agrorum partem solam spectat, modo *publice adsignatus* (v. 91), modo etiam *datus redditus adsignatus* (v. 82. 94). Videntur igitur aratores et pecuarii non sinente, sed permittente populo vel potius senatu arare coepisse pecusve induxisse. Similiter Cicero (Verr. 3, 6, 13): *perpaucae,* inquit, *Siciliae civitates sunt*

superiore bello[1] *a maioribus nostris subactae, quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus; is ager a censoribus locari solet.* Redditum agrum intellege non iure, sed precario: qua de re multi varie erraverunt. Cuinam eiusmodi ager dari reddi adsignari potuerit, ex lege non apparet, nisi quod praeter cives Romanos alios quoque admissos esse ex v. 83 (cf. v. 94) efficitur: videtur non Latinis solum, sed etiam peregrinis omnibus populi Romani dicioni subiectis in his idem ius fuisse, adeoque saepissime iis ipsis, qui sublatae civitatis cives fuerunt, aliquam eius partem precario restitutam esse ipsum reddendi vocabulum declarat. Aratores pecuariique ex hac lege agrum profiteri iubentur ut coloni colonicum (v. 90); quo facto cui permittitur eum retinere, videtur is esse, *[quocum tran]sactum est, ut bona quae habuisset agrumque publice sibi adsignatum haberet* (v. 91). Dicuntur eiusmodi praedia *agri possessionesve agrive possessionisve superficia* (v. 92. 93) quique ea habent, dicuntur *habere possidere fruive* (v. 82. 92) vel simpliciter *possidere* (v. 83. 88) vel *habere* (v. 91). Apparet his hominibus neque ipsos agros tribui neque certum aliquod in iis ius multumque interesse inter hos et colonos agrive privati vectigalisque emptores, quorum illi domini ex iure Quiritium sunt, hi ita domini, ut nudum ius Quiritium solum apud populum remanserit. Contra illos agros licuit sane populo ad exemplum occupatoriorum quandocumque et quomodocumque placuisset possessori auferre; idque ex hac lege non solum fieri potuit, sed etiam debuit, cum et ager qui ex ea veniret nisi ex hoc locari solito sumi non potuerit et ipsa illa transactio cum quibusdam possessoribus ita facta, ut bona haberent quae habuissent, non obscure indicet alios possessiones quas habuissent ex hac lege perdidisse. Accedunt tamen tantae severitatis duo temperamenta, alterum, quod vel ex iure venit, possessor post ablatam possessionem vectigal inde ne solvat (v. 92), alterum, quocum ex hac lege transactum ita est, ut possessiones partemve earum habeat, is ne ex eadem lege eo agro rursus privetur, sed aut retineat eum ipsum aut pro eo tantundem de publico commutatum accipiat (v. 91 cf. v. 82. 94). Haec tamen clausula non perpetua fuisse, sed

1) *Sunt bello* vulgo legitur; *superiori bello* codex Lagomarsinianus 42 omnium praestantissimus. Quod scripsimus et recte dicitur (nam de Sicilia duo tantum bella gessit populus Romanus, quamquam cum Karthaginiensibus pugnavit ter) et necessarium est: Leontinum enim agrum bello posteriore sive Hannibalico populi Romani factum non censores vendiderunt Romae, sed praetores quaestoresque in provincia lege Hieronica (Cic. Verr. 3. 46, 110 sq.). Cf. Marquardt *Handb.* 5, 188.

ad solam ex hac lege venditionem pertinuisse videtur, ut lege deinceps de ea re lata et hunc agrum possessoribus auferre liceret. Quamobrem in hoc agrorum genere privatis ius stetit intra meram possessionem nec sine causa et de vendendo et de transmittendo ad heredem in hac legis parte ne verbum quidem reperitur. Unde quantum intersit inter hunc agrum et privatum vectigalemque vel adeo stipendiarium licet facile perspiciatur, tamen qui a censore conduxit ut deterioris iuris quam dominus ita melioris est quam qui agrum conduxit iure privato; nam qui a populo agrum conduxerit, eum possidere, qui a privato, detinere tantum, et aliunde notissimum est et legis huius termini satis confirmant. Agrum eiusmodi qui habet cum conductoris loco sit, pensionem solvat necesse est; quae pensiones in lege varie significantur. Modo inveniuntur *vectigal decumae scripturae pecoris* vel *pro pecore* (v. 82. 86) vel *vectigal decumae scripturae* simpliciter (v. 82. 83); modo bipertito *vectigalia publica populi Romani* et *scripturae pecoris* sibi opponuntur (v. 87. 88) eodemque videtur pertinere locus mancus v. 92, ubi *scripturae pecoris* hodie sola superest; modo denique *vectigalia in Africa publica populi Romani* (v. 86) vel *agri aedificii loci vectigalia publica* (v. 85) ita memorantur, ut ibi vectigalibus non decumas solum sed etiam scripturam comprehendi vix liceat dubitare. Omnino maxima agri censorii pars non nomine tantum in 'censorum pascuis' videtur fuisse — nam *in tabulis censoriis,* ait Plinius h. n. 18, 3, 11 (cf. Cic. de lege agr. 1, 1, 3), *pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet* — sed re etiam ad scripturarium agrum (cf. Fest. s. v. p. 333 Müll.) pertinuisse; sunt enim in lege quidam loci, maxime v. 86, qui scriptorem de pecuariis magis quam de aratoribus cogitasse prodant. Denique eundem agrum alteri arandi, alteri pascendi causa dari potuisse v. 88 indicio est, quod quomodo fieri potuerit, pabuli hiberni venditio apud Catonem (de r. r. 149) ostendit. Quidnam scripturae nomine pecuarius solverit, quibus legibus paverit, quae multae denique contra legem pascentibus propositae fuerint, plebiscitum non proponit, sed ad censoriam de ea re legem remittit (v. 85. 86). Aratores decimas solvere debuisse ex superioribus apparet. Aedificii vectigal, quod v. 85 memoratur, idem videtur esse atque agri possessionisve superficio impositum (v. 92); neque tamen de solario cogitarim, sed hoc significari videtur licuisse pecuario tugurium, aratori villam in possessione ita sibi facere, ut aliquid propterea ad scripturam decumasve accederet. De reliquis publicis Africae, portoriis maxime, lex haec, quae tota agraria est, non egit. — Eadem iis, qui decumas scripturamve debent, prospexit duplici ratione. Primum

decumis scripturave in futurum tempus liberantur hac lege iidem, quos liberavit lex Sempronia (v. 82). Quam esse legem de provincia Asia a censoribus locanda latam a C. Graccho (cf. Cic. Verr. 3, 6, 12; hist. meae Rom. 2^9, 111) pervidit Rudorffius (p. 126); quosnam vero haec exceperit, demonstrat locus saepe male neglectus scholiastae Bobiensis ad Cic. pro Planc. 13, 31 p. 259 Orell.: *Cum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia et remissionis tantum fieret de summa pecuniae, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione vexati;* de qua controversia cf. Drumannus 3, 210. Apparet C. Gracchum lege hac remittendi arbitrium senatui eripuisse, quod quanti fuerit Polybius ostendit (6, 17), et hac quoque innovatione equites a senatu separasse senatoriamque potentiam infregisse. Eodem spectat Cic. de prov. cons. 5, 12: *qui frui publico non potuit per hostem, tegitur ipsa lege censoria;* notissimaque regula iuris privati propter omnem vim maiorem, quam cui resisti possit, hostium, fluminis, graculorum, sturnorum similiumque conductori pensionem totam partemve eius remitti oportere (Dig. 19, 2, 15, 2. 25, 6.) aut ex lege Sempronia fluxit aut, quod magis est, ex privato iure eam in publicum C. Gracchus transtulit. Omnino enim ita haec res comparata est, ut et conductorum agri et publicani liberatio simul fere procedat neque ab hoc peti possit, ubi illis pensiones remittuntur; nisi quod damni magnitudo aliter sane aestimatur in singulis fundis saltibusve locatis atque in conductione vectigalium provinciae universae potestque damnum quod in aratore pecuariove magnum est remissionemque ei affert, in publicano modicum videri neque tanti, ut ob id ipsi de locationis summa aliquid remittatur. — Deinde lex cavet, ne qui postea fundum saltumve in Africa possidebunt, pro iis plus dent durioribusve legibus eos obtineant, quam proxima vectigalium venditione censoria a. 639 constitutum sit (v. 85—88), nisi quod quae postea consul a. 641 vectigalia Africana vendidit, hac, ut par est, lege iubentur possideri (v. 89); publicani tamen quominus carius emant quam tum factum est non vetatur (v. 86. 87). Quod dignum est ad quod diligenter attendamus. Habet locatio publica vi ac natura sua aliquid diversum a locatione privata; ut enim haec intra contractum stare solet, ita illa vel inter iura in re abire vel in ipsum denique dominium, propterea quod non ut privatus ita res publica facile colonum expellit neque huic tam expedit quam expedit privato pretio vel carissimo sua locavisse. Quod ipsum de Romanorum agro

vectigali accidit. Colonum publicum vel ex antiquissimo iure fuisse possessoris loco supra vidimus; eundem hac lege novum ius et privata locatione meliorem condicionem videmus adipisci, cum idem quod a. 639 constitutum est agri Africani vectigal in perpetuum manere iubetur, ut ab agro emphyteuticario vectigalis hic hoc iam nomine non differat vectigali certo et perpetuo effecto. Quamquam multum adhuc interesse inter utrumque et huius legis possessorem nequaquam pro emphyteuta habendum esse vix est quod moneamus; potest enim illi ager auferri, ut publice aut veneat aut alii colono iisdem legibus attribuatur neque iure illi licet possessionem vendere vel ad heredem transferre. — Vectigalia horum agrorum, aratorum decimae scripturaque pecuariorum, populo ita solvuntur, ut publicano eorum fructus locetur vel veneat (sic enim in lege fere est *vectigalia fruenda locare vendereve* v. 85. 86. 87. 88. 89); unde in hac lege modo dicuntur *dari populo aut publicano* (v. 20. 26. 83) modo *publicano* simpliciter (v. 85). Romae censoria locatione, non in Africa fructus illos veniisse praeter alios Cicero docet loco supra allato Verr. 3, 6, 12, et agitur in lege quoque de censorum a. 639 agri Africani locatione venditione (v. 85. 86. 88), cuius tanquam accessorium videtur fuisse locatio consularis a. 641 (v. 89); similiter constitutione Sullana, quae censores nullos esse voluit, consules eorumve loco praetores censoria negotia procurabant (Cic. Verr. l. 1, 50, 130; cf. hist. meae Rom. 2^9, 357). Quam ob rem quod in lege dicitur locare vendere *magistratus prove magistratu quive pro eo inperio iudicio [curationeve erit]* (v. 87), de ipsa censoria consularive venditione videtur accipiendum esse, ut magistratus sit censor, reliquis significetur consul praetorve censoris vice fungens. Iudicium autem intellegitur cum locatione publica coniunctum; censoris enim quive in locum eius subibat omnino erat lites dirimere, quae de ea locatione inter populum publicanumque incidissent (cf. ad v. 33).

XLV. Ab hoc inde loco quin agatur de agro Africano dubitare non sinit loci de agro Corinthiorum comparatio, ubi lex v. 96. 97 similiter orditur ab agro quem publice venire oporteat metiundo et v. 100 plane respondet huic nostro 46; ut quamquam de metiundo lex Africana propter certas causas non cavisse videtur, tamen ab agro publice vendendo omnino proficiscatur idque caput eius et summa recte credatur fuisse. Videamus igitur hoc loco de universa hac emptione venditione, quis venditor fuerit, quis emptor, ubi instituta sit, quid venierit, quando, quo pretio; nam quo iure res emptoris fiat, supra iam exposuimus (III, 1). Primum populum vendere perspicuum est; *publice* enim agrum venire, *populo*que emptorem

obligari passim in lege dicitur eodemque ducit mancipis praediorum praedum commemoratio v. 46—48. 73—74. 83—84 a privatis venditionibus alienorum. Vendit populi nomine 'magistratus Romanus' (v. 47), quem IIvirum ex hac lege factum Huschkius habuit, equidem crediderim fuisse quaestorem urbanum adiuncto urbano praetore. Venditio enim fit Romae (v. 48. 75. 83), cum IIvir quantum video non in urbe negotium gerat, sed in Africa res procuret; deinde ubi de ipsa emptione rebusque cum ea coniunctis agitur, nusquam IIvir nominatur, contra et legitur v. 92: *agrum — q(uaestor) pr(aetor)ve pu[blice vendidit]* et praediatoria exactio propter eiusmodi emptiones ex hac lege permittitur praetori urbano (v. 73. 83) et nomina mancipis praedum praediorum perscribit urbanus quaestor (v. 46 cf. v. 100.). Vendere autem quaestorem magis quam praetorem ea re significatur, quod prior ille nominatur, praetereaque agri publici venditionem proprie quaestoris fuisse satis apparet ex ipso nomine *agri quaestorii* (cf. Rudorff *Feldmesser* 2, 286; Marquardt *Handbuch* 5, 156). Urbanus autem quaestor vendit, non militaris, scilicet agrum ex longo tempore populo Romano adquisitum. Praetoris urbani id solum in hac re negotium videtur fuisse, ut populo satis cavendum curaret, ubi satis cautum non esset, pecunia praesenti venderet (v. 73. 74). — Sequitur de emptore, quem civem Romanum esse oportere lex passim significat (v. 58? 76. 78. 83. 94?); commemorantur praeterea in iis qui supersunt laciniis semel *socii nominisve Latini* (v. 50), neque tamen in his emptionibus num quid iis permissum fuerit, certa ratione apparet. — Ad emptionis locum et tempus quod attinet, Romae agros veniisse ad aerarium iam diximus. Venditiones eiusmodi alias hanc legem praevenisse, alias ex ea demum proficisci varii legis loci inter se collati satis ostendunt; nam v. 75 verbis: *ager — quei Romae publice venieit venieritve*, item v. 70 et 72 de pecunia pro agris venditis populo solvenda verbis *adsignatum est eritve — debetur debebiturve* utrumque genus comprehenditur. Perfecto tempore idem effertur v. 45: *emptum est;* v. 47: *emit*: v. 58. 65. 67. 91: *venieit,* quamquam ad tempus ante rogatam legem an ad quidvis aliud haec referre oporteat potest dubitari. Futurum ponitur v. 80: *quei ager ex h. l. privatus factus erit;* v. 83 (cf. v. 73): *quei Romae publice venierit.* Venditio quatenus futura est et fit ex hac lege, semel unaque auctione perfecta sit necesse est, cum agrorum venditorum pretia omnia exigantur eadem die (v. 70); nisi quod qui agri propter pecuniam non solutam emptoribus auferuntur, iterum veneunt die posteriore (v. 74). — Qua die vel ante quam diem ex hac lege venditio fiat, ignoratur. — Pretium verum esse vel inde

constat, quod praedibus praediisque populo cavetur, cautione ab imaginaria venditione sane aliena, et pretia agrorum per publicanum aliave ratione exiguntur. Reperitur quidem praeterea venditio aliqua nummo uno v. 66 (nam v. 49 male eam intrusam esse hodie constat), sed haec tum fit, cum pro ablato agro iure vendito iusto emptori tantundem agri publici a populo redditur, unde eam quam lex instituit agri Africani venditionem veram esse omnino confirmatur. Mancipibus qui licitatione vicerunt pretia in tabulis publicis debitorum nomine adsignantur vel discribuntur, id est sua cuique portio adscribitur (v. 70 cf. v. 46. 100). De solutione lex cavit diligenter. Primum ad certam post venditionem diem mancipi permittitur pretium solvere. Quod si non fecit, per quattuor menses proximos solvere quidem iam non licet, sed licet praedibus praediisque populo cavere; quomodo vero satis dandum fuerit quaeque praedia subsignari potuerint, his versibus 45. 46 olim cavebatur, ad quos ablegat de ea re versus 73. Denique si emptor neque solvit neque satis fecit, ager ei aufertur venditurque pecunia praesenti (v. 73. 74). Primo itaque et tertio casu negotium transactum est pecuniaque in aerarium redacta. Qui populo caverunt, ab iis per publicanum pecunia exigitur hoc ordine. Debita omnia publicano ita veneunt, ut certam pecuniam, quam propter exactionis pericula et impendia debitorum summa minorem esse debuisse facile intellegitur, certa die, quae videntur esse idus Martiae post hanc legem rogatam secundae, aerario inferat, item ex certa die, sive eadem fuit (ut exempli causa in supplementis posui v. 71) sive diversa, ab emptoribus debita aerario sibique cessa exigat. Et haec causa fuit, cur post diem solutionis praeteritam emptori iam liceret satisdare, solvere non liceret, quod praeterea in iure non facile invenietur; denique ob id ipsum qui emptor publicano attributus est, etsi post attributionem populo solvit, nihilo minus publicano manet obligatus, ut tamen pecuniam hoc nomine populo solutam tanquam indebitam ab aerario repeti potuisse aequitas iuris dubitare non sinat. Intererat enim et publicani et populi accurate definire quaenam nomina emerentur venirentque neque a quoquam debitore publicanum repelli posse exceptione pecuniae ante solutae. Quare lex et solutioni ad ipsum aerarium perficiendae diem certam praestituit et si quid peccatum esset a quaestore, sive quod pecuniam male scripsit deberi, quae soluta iam esset, sive post illam diem pecuniam accepit, publicano nihilo minus emptorem satis facere pecuniamque ante solutam ab aerario repetere iussit. Denique ad emptores, qui publicano non satis fecissent, spectat caput v. 83. 84, quamquam loco alieno positum; nam verba *pro agro loco, quei Romae*

publice venierit, nullo modo ad vectigalium, sed ad solam agri publici venditionem referri constat neque ita certo et iusto ordine capita legis composita sunt, ut ex loco quo quid legatur multum efficias. His v. 83. 84 quod cautum fuit, lacunae magnopere obscurarunt; videtur tamen aliqua ratione posse reperiri, modo hoc teneas quod alibi demonstravi (*Stadtrechte von Salpensa und Malaca* p. 471) iure praediatorio pecunia debita non soluta non mancipem teneri, quamquam re principaliter debuit, sed praedes eius, nisi forte manceps 'idem praes' est; item praedem ita teneri, ut praedia quae habet ei obligationi subdat et subsignet. Videntur igitur mancipi primum aliquot dies mensesve rursus dati esse, quibus ut ante populo, ita nunc publicano solveret. Si non solverit, lex cavet, ut et ter tantam pecuniam populo debeat et pro triplicata ea pecunia tanquam 'idem praes' praedia sua invitus in publicum det, praetereaque pro aucto hoc debito solita subsignatione praedibus eorumque praediis denuo caveatur. Nam ita in lege est: *Praetor — [praedia empto]ris ter tanti invito eo quei dabit accipito facitoque quei ex h(ace) l(ege) praedia dederit utei ei satis supsig[netur]*. Convenit id plane capiti LX aeris Malacitani: *praedes — dato — si d(e) e(a) r(e) is praedibus minus cautum esse videbitur, praedia subsignato,* dudum ita explicato (*Stadtr.* p. 477), ut si qualibet ex causa praedes non sufficiant, debitor principalis ipse praedis loco praedia subsignet. Quae sequuntur: *[neive quis quid fax]sit, quo minus ex h(ace) l(ege) praedium quei quomque velit supsignet pequniamve solvat praesque quei quomque ex h(ace) l(ege) fieri volet, fiat* non obscure indicant iure praediatorio licuisse cuivis ut solvere ita praedem fieri pro debitore etiam invito, quod magna ex parte in iure communi solutionis fideiussionisque non minus obtinet; videnturque, ubi emptor solvendo esset, commoda quaedam ad eum qui praes factus pro eo pecuniam dedisset inde redundasse, fere ut duplum venit in actionem depensi, unde lex qui volent ad eiusmodi intercessionem quodammodo invitat. — Quid factum sit, si emptor praedia non haberet, quae pro triplicata pecunia daret, denique pecunia haec publicano neque ab emptore neque ab alio ullo solveretur, lex non proponit, non ob aliam causam ni fallor, quam quod ei rei ius praediatorium satis iam in universum prospexerat praedibus praediisque vendendis. Nam quod ex hac lege a populo publicanus mercatur, non praedes praediaque sunt, sed ipsa nomina exigenda, ut tanquam in nomine cesso publicano pecunia non debeatur, sed recte solvatur, populo debeatur, neque tamen recte solvatur. Unde cum populo debitum maneat, non creditori privato deberi incipiat, recte et praedes qui fuerunt manent obligati et qui postea ad obligationem acce-

dunt, non sponsorum locum, sed item praedum obtinent; erravitque Zimmermannus (de notione et historia cautionis praedibus praediisque. Berol. 1857. p. 36), contraria ratione publicanum praedum praediorumque obligationes mercatum esse opinatus. Imo quamquam ubi alio modo publicano satisfactum non esset, praedes praediaque ut ei satisfieret tandem aliquando sane venierunt, tamen ex ipsis nominibus cessis publicano in praedes praediaque ius nullum fuit; simplicissimeque ita rem processisse animo informabimus, ut ubi ad venditionem illam res pervenisset, pro debiti summa aerarium praedes praediaque publicano vel eidem qui nomina mercatus esset vel cuivis alii venderet et ex pecunia ita redacta publicano, cui nomen frustra cessum esset, satisfaceret.

XLVI. Miro errore Zimmermannus (l. c. p. 8) hinc effecit regulam iuris in universum mancipes praedes praedia soluta esse oportere, cum frustulis rem sibi esse plane oblitus. Supplementa mea proficiscuntur ex v. 100; quamquam diversam sententiam hic subesse posse non infitior; quaenam sententia subsit (vide quae infra ad leges Salp. et Mal. de praediis adnotavi) ex neutro loco recte efficitur.

L. De supplemento v. ad v. 21.

LI. De procuratore v. ad v. 69.

LII. Hoc loco primum certa mentio fit IIvirum ex hac lege creandorum, qui deinde saepe occurrunt; ut iam huius magistratus natura in examen veniat. Primum binarius numerus insolitus est neque in legibus agrariis et coloniariis praeterea reperitur (cf. Cic. de lege agr. 2, 7, 17: *toties legibus agrariis curatores constituti sunt triumviri quinqueviri decemviri*). Non minus novum est, quod, ubicunque IIviri mentio fit, singulari numero effertur, quod fit vel in his locis, ubi opponuntur plures, ut v. 80 (*IIvir stipendiarieis dederit;* cf. ad v. 11), ut non videantur eadem negotia ambo alterve procurasse, sed alteri utri diversa negotia ex lege iniuncta esse. Quibuscum si componimus quod supra iam ad v. 28 demonstratum est, in ea parte legis, quae de Italia agit, IIviros hos nusquam commemorari, item quae de agro provinciali Romae ex hac lege fieri oporteret, non IIviris, sed ordinariis magistratibus iniungi, contra et in Africa et Corinthi IIvirum negotia administrare, sponte sequitur duos viros ex hac lege factos esse, quorum alter in Africam, alter in Graeciam proficisceretur ibique in re praesenti de agro publico populi Romani statueret. Extra ordinem neque plus semel hos IIviros creatos esse sequitur cum ex v. 78 tum ex natura negotii cui praeficiuntur. Potestas eorum eadem videtur fuisse ac reliquorum curatorum agrariorum, id est videntur fuisse *IIviri agris dandis adsignandis iudicandis,*

agrumque, qui publicus fuit, ad privatos transtulisse vel ipsum vel usum eius et de ea re, utrum publicus an privatus ager esset, iudicavisse (v. 57. 59—64. 68). Quod praeterea ius edicendi habuerunt (v. 52. 53. 56. 57), quod qui agrum privatum publicumve tenebant, cum omnem secundum suam causam apud eos profiteri iubentur (v. 53. 56. 57) aliaque similia a communi magistratuum iure non recedunt.

LIII. *Cognitores* hic videntur nominari iidem, qui ex aere Malacitano c. 63. 64 innotuerunt (cf. comm. meum p. 477), qui quo quis iure praedium teneat publice testantur falsoque testimonio dicto populo obligantur.

LIV. *b* 54 supplevit Rudorffius ex v. 63; idem quod *emptum* pro *emptor* reposuit, recipere nolui, cum in lege fuisse ita fere possit *modo demum emptor siet ab eo.* — Ad quemnam de tribus L. Calpurniis, qui consules fuerunt a. 621. 642. 643, qui omnes alibi in hac lege nominantur, hic locus trahendus sit, ignoramus.

LV. Rudorffio (p. 108) visum est hoc loco cautum esse de restituendo in integrum eo, qui cum praefectus milesve in provincia esset aliamve ob causam publicam abesset, intra diem apud IIvirum professus non esset; Huschkius (p. 607) ut pro iisdem hominibus procurator profiteretur hoc loco permissum esse magis credidit. At hoc si voluisset legis scriptor, universe credo comprehendisset rei publicae causa qui abessent; praeterea cum professiones in Africa provincia fierent, excipiendi erant non qui in provincia, sed qui rei publicae causa extra Africam mererent. Equidem huc rettulerim potius Marciani verba (Dig. 49, 16, 9 cf. 1, 16, 6, 3. 18, 1, 62 pr.): *milites prohibentur praedia comparare in his provinciis, in quibus militant, praeterquam si paterna eorum fiscus distrahat;* quod quamquam ab auctoribus aevi multo posterioris traditur, tamen cur iam huius legis aetate non obtinuerit non perspicio. Certe senatorii ordinis homines cum potestate aut legatione in provinciam profecti mancipium ibi emere nisi in demortui locum legibus etiam repetundarum vetabantur (Cic. Verr. 4, 5, 9; cf. Plut. apophth. Cat. mai. 27.)

LVI. Agitur hoc loco de eo, qui, cum apud IIvirum agrum profiteatur oportet, ante factam professionem bonorum venditionem subierit, videnturque eius loco vocari bonorum emptor magister curator quive ab eorum quo emerit. Nam curatorem, qui *b* 56 nominatur, non cum Rudorffio (p. 108) et Huschkio (p. 608) de curatore furiosi acceperim, sed de eodem, qui eo ipso versu statim post nominatur, curatore bonorum; de tutore enim pupilli et curatore furiosi iam civili iure satis cautum erat, contra, cum professio permittatur ei qui a curatore bonorum emit, idem ipsi curatori lege permissum

sit necesse est. Recte vero idem Huschkius monuit specialiter de bonorum emptore similibusque personis propterea cautum esse, quod *bonorum emptorum res pleno iure (non) fiunt, sed in bonis efficiuntur, ex iure Quiritium autem ita demum adquiruntur, si usu ceperunt* (Gai. 3, 80). Magister is est, quem bonis vendendis creditores praeposuerunt, neque mirum, cum bonorum emptori postponi, cum huius ius perpetuum sit, illius transitorium. Curator, cui aeque ac magistro bona vendere liceat, apud aetatis imperatoriae prudentes non raro invenitur, eo a magistro differens, quod hic bona debitoris vendit publica auctione, ille privatim curat ut singulae res distrahantur quibus commodum est (Dig. 27, 10, 5; 9. 42, 7). Quod quamquam plerumque ea demum aetate institutum esse creditur (Keller *Civilprocess* p. 366, alii), tamen etiam libera re publica licuit fortasse creditoribus, modo consentirent omnes, ut bonorum venditione supersederent et per curatorem bona distraherent. Denique quod profiteri iubetur, qui a bonorum emptore magistro curatore emerit, de emptore et curatore recte se habet; sed paullo incautius magister hic quoque adscriptus est, quoniam qui ab eo emit ipse bonorum emptor est. Neque enim Rudorffio (p. 109) credo magistro etiam distrahendorum bonorum ius fuisse; quod ex Dig. 42, 7, 2, 1 minime sequitur totumque inter magistrum et curatorem discrimen tollit.

LXI. Agitur hoc capite v. 61 — 63 *IIvir — numer* . . . de agro colonis dato adsignato a IIviris iudicatione confirmando, sequente v. 63—65 . . . *oque eius — non venieit* de agro privato vectigalique emptoribus eorumve iustis successoribus item confirmando; sequuntur deinde commutationes ordine inverso primum emptorum v. 65—66 *[aut sei is] ager — esto,* deinde colonorum v. 66—70. Neque tamen singula ausus sum resarcire.

LXIV. *Planum facere* est probare, ut ait Lucretius 2, 934: *planum facere atque probare;* Cic. Verr. act. 1, 14, 40; l. 5, 64, 165, qui loci in vocabulariis reperiuntur. Ex antiquo iure formulam esse haec praesertim lex (cf. v. 72) ostendit.

LXV. Locus a v. 65 ad v. 69 eo pertinet, ut ubi bis eundem agrum populus duobus dederit, alteri, qui a IIviro non obtinuerit satisfiat commutatione. De singulis quid sentiam, supplementa adsumpto capitum indice satis ostendent, scilicet agi primum de concurrentibus duabus emptionibus, deinde de concursu inter coloniariam adsignationem et ex hac lege venditionem. Duo capita simillima v. 66. 67 et 67. 68 quomodo differant, anceps quaestio est; equidem eo nisus, quod in priore coloni emptor desideratur, cum emptoris emptor v. 69 adsit, ita ut feci restitui.

LXIX. *emptorive eius* dedi, ut supra v. 23 legitur *ab emptore eius*. Rudorffius quod scripsit *heredive eius* aut omnino ferri nequit aut certe sic mox reponendum est cum Huschkio *heredisve quoius eorum*, quod tamen et ipsum non probarim; neque me quidem valde offendit paullo incautior verborum structura, quamquam sane melius scripsisset librarius: *ei emptorive eius pro curatoreue herediue quoius eorum. Procuratorive* coniecit Rudorffius; sed pro curatore dicitur ut pro consule et similia. Cf. supra v. 51: *[eiusv]e rei procurandae causa erit.* Procuratoris vocabulum hac aetate nondum invaluerat.

LXX. Supplementa Rudorffiana, Huschkiana, Zimmermanniana (de praed. p. 42 sq.) quoniam non visa sunt satis facere, adscripsi alia et ipsa quidem incerta, sed quae probabilitatis specie non prorsus careant. De summa re supra dictum est. In enuntiato *[quod eius p]equniae adsignatum discriptum adsignatumve in tabuleis publiceis est* quod Rudorffius (p. 121 n. 43) *adsignatum* ad syngrapham inter debitorem populumque faciendam, *discriptum adsignatumve in tabuleis publiceis* ad nomen tabulis publicis inscribendum rettulit, neque iuris Romani regulis, quod syngraphas illas plane ignorat, nec legis verbis satis convenit. Mihi quidem *adsignatum* bis videtur scriptum esse errore.

LXXI *uteique* Lachmannus ad Lucretium 4, 638 demonstravit non poni nisi praecedente pronomine relativo; quare *atque*, quod v. 72 extr. in aere superest, quin v. 71 bis recte Rudorffius supplerit minime dubitandum est. — Neglegenter legis conditor *nei — ei — ei nei* ita posuit, ut alterutro loco verba abundent; turbavit scilicet praelongum enuntiatum.

LXXIII. V. ad v. 45. Puto cautionem praedibus praediisque satis significari verbis legis de praediis subsignandis; nam ad id totam rem rediisse suo loco ostendi. Videtur tamen solo vocabulo *praedia* hiatus inter *d* 12 et *e* 23 non satis expleri, ut fortasse aliquid de praede praeterea scriba addiderit; cf. v. 74.

LXXIV. *Praedia in publico obligari* offendit, cum in similibus semper legatur casus quartus, ut apud Catonem (Fest. v. quadrantal p. 258): *praedia in publi[cum] dare;* apud Varronem (6, 74): *praedem in publicum esse;* in aere Malacitano c. 60: *praedes in commune municipum dari.* Fortasse formula antiquior *in publico(m) obligari* a posterioris aetatis scribis perperam retenta est.

LXXXV. *e* 35 distinguitur *lex agri aedifici loci*, id est quam possessori censores dixerunt, ab lege *vectigalibus publiceis fruendeis locandeis vendundeis* dicta, id est quam censores dixerunt publicano. Quare ne corrige cum Rudorffio *agris aedificis locis.*

XCIV. *Comportandi* maxime vocabulo usus Rudorffius (p. 129) probabiliter coniecit hic agi de frumento decumano certis locis in horrea deponendo; ita bell. Afric. 36 in oppidum Thysdrae *tritici modium milia CCC comportata fuisse a negotiatoribus Italicis aratoribusque* narratur. Eodemque traxerim, quae deinde leguntur v. 95 de fructibus vino oleove post h. l. perceptis; cf. bell. Afric. c. 97: *Leptitanos ... tricies centenis milibus pondo olei in annos singulos multat.* Neque obstat, quod vectigalia Africana a censoribus locabantur; potuerunt enim ita locari, ut praeter pecuniam certa quantitas frumenti vini oleive populo Romano solveretur.

III. DE AGRO PVBLICO P. R. CORINTHIORVM QVI FVIT.

Quae de agro olim Corinthiorum in lege supersunt, tam pauca sunt, ut quod sit ignotum inde nihil fere discatur; neque propterea in eo loco diu morabimur. Sublata Corinthiorum re publica excisaque adeo urbe a. u. c. 608 agrum eorum qui fuerat populi Romani factum esse nemo ignorat; cuius deinde maxima pars una cum cura ludorum Isthmiacorum (Paus. 2, 2, 2) Sicyoniis cessit (Strab. 8, 6, 23 p. 381 Cas.) neque tamen, ni fallor, iure sed precario, fere ut Uticensibus Carthaginiensis agri magnam partem permissam esse vidimus. Praeterea quae Corinthiaci agri hac aetate iuris condicio fuerit, nusquam relatum est, videtur tamen in universum ad agrum Africanum proxime accessisse et praeter portiones quasdam exceptas a censoribus solita ratione locatus esse; unde Pausanias (7, 16, 9) Achaiae provinciae vectigal tum impositum esse refert. Iam hac lege IIvirum alter (vide supra ad v. 52) eo mittitur, ut eum metiundum curet terminosque ibi statuat, venditioque deinde ut agri Africani ita Achaici ex hac lege instituitur; quae tamen aut perfecta non est aut certe agri publici minorem tantum partem absumpsit, quoniam postea et Rullus ad populum tulit, ut ager Corinthius veniret (Cic. de l. agr. 1, 2, 5. 2, 19, 51), et Caesar coloniam eo deduxit.

XCVIII. Quod hoc loco inter mensorem et populum locatio admittitur, minime contradicit regulae edicti inter mensorem et privatum locationem conductionem non esse (Dig. 11, 6, 1 pr. cf. 10, 1, 4, 1); nam illa locatio ex iure publico venit, ad quod praetoris edictum non pertinet.

VIIII

I 1 ne[1] esse liceat neive qu[is][2], quod eius municipi pequniae publicae sacrae
2 religiossae est erit, fra[u]dato neive av[o]rtito neive facito, quo eorum
3 quid fiat neive per litteras[3] publicas fraudemve[4] publicum peius
4 facito d(olo) m(alo). Quei faxit, quant[i][5] ea res erit, quadruplum multae[6] esto
5 eamque pequniam mu[n]icipio dare damnas esto eiusque pequniae
6 magistratus, quei quomque in municipio erit, petitio exactioque esto.
II 7 IIIIvir(ei) aedilesque quei h(ac) l(ege) primei erunt, quei eorum Tarentum venerit,
8 is in diebus XX proxumeis, quibus post h(anc) l(egem) datam primum Tarentum venerit,
9 facito quei pro se praes stat praedes praediaque ad IIII[vir](os) det quod satis
10 sit, quae pequnia public[a sa]cra religiosa eius municipi ad se in suo magistratu
11 pervenerit, eam pequni[a]m municipio Tarentino salvam recte esse futur[a]m
12 eiusque rei rationem r[ed]diturum, ita utei senatus censuerit isque IIIIvir
13 quoi ita praes dabitur ac[c]ipito, idque in tabu[leis p]ubliceis scriptum sit
14 facito, quique quomqu[e] comitia duovireis a[ed]ilibusve rogandeis
15 habebit, is antequam maior pars curiarum quemque eorum, que[i]
16 magistratum eis comitieis petent, renuntiabit, ab eis quei petent praedes
17 quod satis sit accipito, [q]uae pequnia publica sacra religiosa eius municipi
18 [ad] quemque eorum in eo magistratu pervenerit, eam pequniam municipio
19 Tarentino salvam rec[te] ess[e futu]ra[m ei]usque rei ration[e]m[7] redditurum,
20 ita utei senatus ce[nsu]erit, [i]dque in [tabul]eis publiceis scriptum sit facito
21 quodque [quoi]que neg[oti pub]lice in m[unicipi]o de s(enatus) s(ententia) datum erit negotive[8]
22 publicei gesserit pequniamque publica[m deder]it exegerit, is quoi ita negotium
23 datum erit negotive quid publice gesser[it] pequniamve publicam dederit
24 exegerit, eius rei rationem senatui reddito refertoque in di[eb]us X proxume[is]

a 1
m 2
qu 3
ui 4
is 5
m 6
Sei q 9
ne[14] 10
Tar 11
fia 12
at 13
d[15] 14
Sei qu 15
pos 16
qu[16] 17
quod vid 18
facito 19
Quo die qu 20
est quae 21
est 22

27 senatu sententiam deixerit, is in o[ppi]do Tarentei aut intra eius muni[cipi]
28 fineis aedificium, quod non minu[s] MD tegularum tectum sit, habeto [sine]
29 d(olo) m(alo). Quei eorum ita aedificium suom non habebit seive quis eorum [eo]
30 aedificium emerit mancupiove acceperit, quo hoic legi fraudem f[9][aceret],
31 is in annos singulos HS n(ummum) IↃↃ municipio Tarentino dare damnas esto.
IIII 32 Nei quis in oppido, quod eius municipi e[r]it, aedificium detegito neive dem[olito
33 neive disturbato, nisei quod non deterius restituturus erit, nisei q̄[e] s(enatus) s(ententia).
34 Sei quis adversus ea faxit, quant[i] id aedificium f[u]erit, tantam pequni[a]m
35 municipio dare damnas esto eiusque pequniae [que]i volet petiti[o] esto.
36 Magi(stratus)[10] quei exegerit dimidium in [p]ublicum referto, dimidium in l[u]deis, quos
37 publice in eo magistratu facie[t] consumito, seive ad monumentum suom
38 in publico consumere volet, l[icet]o idque ei s(ine) f(raude) s(ua) facere liceto.
V 39 Sei quas[11] vias fossas clouacas in[ı]vir[12] [ı]vir aedilisve eius municipi caussa
40 publice facere immittere commutare aedificare munire volet intra
41 eos fineis, quei eius municipi erun[t], quod eius sine iniuria[13] fiat, id ei facere
42 liceto.
VI 43 Quei pequniam municipio Tarentin[o] non debebit, sei quis eorum quei
44 municeps erit neque eo sexennio [p]roxumo, quo exeire volet, duovirum

re 33
eas i 34
testamen 35
facto mort 36
oporteret 37
item iei omn 38
sei ceivitate 39
frau 40
aqu 41
eode 42
fine 43
iuris i 44
de ite 45

1) *ne* vocabulum integrum (neque enim tabula vocabula per versus scindit) hoc solo loco reperitur; praeterea pro *nē* legitur *nei* 2) sic recte supplevit Spinazzola *Bull. dell' Inst. di diritto Rom.* 9,88. 3) *li||eras* tabula; elementorum *tt* reliquiae agnoscuntur in photographia 4) *fraudemve* vere in tabula esse confirmavit Schoenius. Certe parum recte sibi opponuntur *litterae*, scilicet fraus per litteras commissa, et *fraus*; sed cum in lege col. Gen. c. 81 legatur: *neque se fraudem per litteras facturum esse,* non supplebimus cum Scialoja (secundum Dig. 48, 13, 1): *fraudemve* [*aurum argentum aes*] *publicum peius fiat* sed tolerabimus quae traduntur 5) *quanta* priores errore 6) fortasse emendandum *multa*, quamquam etiam in lege coloniae Genetivae c. 81 legitur *multae esto* 7) adde *se* 8) inserendum *quid* ex v. 23. 9) extrema littera E visa est esse descriptoribus, sed ut F quoque possit admitti. 10) MAGI esse in aere, non MAG. confirmat Schoenius 11) sic aes recte, *si quis* lex colon. Genetivae c. 77 Tarentinae ad verbum respondens. 12) Inter II et VIR spatium vacuum videtur relictum esse, scilicet tessella hoc loco aeri ad vitium eius obtegendum superposita, cui tessellae hodie sublatae quamquam in versu qui praecedit litterae ICET inscriptae fuerunt, ea in hoc videtur vacua mansisse. 13) excidisse *privatorum* ostendit lex col. Genetivae l. c. 14) *neiue* priores 15) *d* non agnovit Schoene 16) *quo* priores

LEX MUNICIPII TARENTINI.*)

1 Legis Tarentinae tabula aenea nona quam edimus reperta est a professore Ludovico Viola a. 1894 die Oct. 18 Tarenti in agro Caroli Cacace prope portam Leccensem coniecta in puteum antiquum ita fracta, ut ex sex fragmentis pagina una licet passim damnum passa tamen integra fere componeretur; alterius paginae, quae hanc sequebatur, iam effractae non supersunt nisi aliquot versuum litterae primae non continuae. Aes inlatum est in museum publicum Neapolitanum. Elementa non solum incisa erant, sed cava repleta pigmento albicante facto maiore ex parte ex plumbo, quod pigmentum Viola repperit adhibitum similiter etiam in aliis tabulis aeneis scriptis, ut in Heracleensis scriptura antiquiore et in aere Ligurum Baebianorum (C. I. L. IX, 1455). Tabula alta est mill. 456, lata, ubi maxima, mill. 435, crassa mill. 8; clavis ad parietem eam adfixam fuisse ostendunt foramina duo ad finem v. 3 et sub versu huius tabulae extremo. — Edita est lex Tarentina descripta cum cura praeter Violam a perito homine Iosepho Gatti in monumentis antiquis editis ab academia regia Lynceorum (vol. VI a. 1895 p. 405—442) adiecta imagine photographica, item commentariis Victoris Scialojae et Iulii de Petra; ille eam repetivit *Bullettino dell' Istituto di diritto Romano* a. 9 (1896) p. 1—22. 88. Nostrae editionis causa Hermannus Schoene Neapoli aes diligentissime recognovit, lectionem priorum ubivis fere comprobans.

'Divisionem vocabulorum', Ritschelius (prisca monum. p. 120) ait, 'in extremis versibus aera legalia (antiquiora) nullam norunt'; incipit ea aetate Caesaris, scilicet a lege de Gallia Cisalpina a. $\frac{705}{49}$ et tabula Heracleensi a. $\frac{709}{45}$ et coloniae Genetivae eiusdem aetatis. Sequitur tabula nostra usum vetustiorem.

Orthographia legis solita est aetatis Ciceronianae, digna omnino propter constantiam quam grammatici expendant, sed propria habens vix ulla[1].

*) Ephemeris Epigraphica IX, 1—11.

1) Comparari poterunt quae de fragmento legis de Gallia Cisalpina Atestino exposui in Hermae vol. 16 p. 28.

ei pro *i:*

nom. sing. 2 *quei* constanter excepto uno loco *quique* 14.

nom. plur. 2 constanter: *iei* 2, 38 — *primei* 7 — *quei* 16.

gen. sing. 2: *publicei* 21 — *tarentei* 27 — *tarentinei* 26.

acc. pl. 3: *fineis* 28. 41.

abl. pl. constanter: *comitieis* — *uvireis* — *ludeis* — *proxumeis* — *publiceis* — *rogandeis* — *tabuleis.*

nei et *neive* — *nisei* — *sei* et *seive* — *utei:* omnia constanter excepto uno loco *ne esse* 1 (ubi de vocabulo *necnĕ* vix poterit cogitari). 2

ceiuitate 2, 39 — *deixerit* 27 — *exeire* 44.

i, non *ei.*

gen. sing. 2 contr.: *municipi* passim — *negoti* 21. 23.

dat. sing. 3: *legi* 30.

i et *u: mancup-* 30 — *proxum-* 8. 24. 44.

o et *u: tabu*[*leis*] 13 — *hoic* 30.

suom 29. 37 — *clouac-* 39; *uu* non reperitur.

c et *q: pequn-* constanter — *quoi* 13 — *quomque* 6. 14.

ss pro *s: caussa* 39 — *religioss-* 2 (sed *religios-* 10. 17). 'Ciceronis temporibus paulumque infra' *caussa* scripturam usitatam fuisse ait Quintilianus inst. 1, 7, 20; *ausus causa fusus odiosus* antiquos per duo *s* scripsisse Marius Victorinus p. 2456 Putsch. = vol. 6 p. 8 Keil.

faxit 4. 34.

Tarentum sub imperio rei publicae Romanae civitatum Italiae foederatarum una fuit, suo iure sese gubernans et ut carens Latinorum privilegiis ita non adstricta Latini iuris vinculis, ut cives crearet quos vellet[2], rei publicae magistratuumque formam Graecam retineret[3], per bella non militibus, sed navibus Romanos adiuvaret[4].

---

2) Cicero pro Archia 3, 5: *hunc* (Archiam ante a. $\frac{652}{102}$) *et Tarentini et Regini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt;* cf. 5, 10.

3) Documenta quibus id adsererem cum deficerent, opportune amicus Dessau admonuit tituli nuper reperti Tarenti (*Notizie* 1896, 110 [Dessau 6462]): *Iovi o. m. conservatori domus Aug. M. Cocceius Aug.* (scilicet Nervae) *lib. Pudens ob honorem prohedriae. L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum).*

4) Polyb. 1, 20. Livius 35, 16 ad a. $\frac{561}{193}$: *qui magis Zmyrnaei Lampsacenique Graeci sunt quam Neapolitani et Regini et Tarentini, a quibus stipendium* (scilicet sociorum navalium), *a quibus naves ex foedere exigitis* et postea: *ab Reginis et Neapolitanis et Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore iuris semper usurpato, numquam intermisso quae ex foedere debent exigimus.* Cf. idem 36, 42.

Colonia Neptunia civium Romanorum maritima[5] a C. Graccho a. $\frac{631}{123}$ eo deducta et Graeca urbs inter eadem moenia comprehendebantur[6]. Exorto autem bello sociali cum a. 665 civitatibus adhuc foederatis Romana civitas daretur[7], pariter atque reliqua oppida Italica Latinorum et foederatorum Tarentum, quamquam ipsa re aliquamdiu Graecam indolem retinuit pariter atque Neapolis et Regium[8], iure factum est municipium civium Romanorum, ut in nova hac
3 ordinatione et colonia civium mergeretur et civitas foederata. Eius mutationis ut Cicero testis est[9], ita iam nacti sumus ipsius legis, per quam civitatis forma mutabatur, tabulam nonam municipii vocabulum de Tarento passim usurpantem. Eam legem non rogatam esse in comitiis populi Romani, sed iussu eius, cui populus rem mandaverat, datam[10] consentaneum est; scilicet quotquot habemus ipsas vel reperimus commemoratas leges coloniarum deducendarum oppidorumve constituendorum itemque provinciarum ordinandarum, ita eae factae sunt, ut populi iussum de ea re factum unus vir pluresve suo exequerentur arbitrio[11]. Communicatio civitatis Romanae

---

5) Velleius 1, 15. Stralo 6, 3, 4 p. 281.

6) Plinius h. n. 3, 11, 99: *sinu qui Tarentinus appellatur ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito, contributa eo maritima colonia quae ibi fuerat.* Dedicationes Tarenti repertae C. I. L. IX, 6152. 6153 si factae sunt, ut esse videntur, antequam constitutum est municipium Tarentinum, ad coloniam eam pertinebunt.

7) Cicero pro Arch. 4, 7: *data est civitas Silvani lege et Carbonis* (eam nos solemus appellare Plautiam Papiriam fortasse non recte, certe plebiscita solent nominari a solo auctore primario *St. R.* 3, 315), *si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent.*

8) Strabo 6, 1, 2 p. 253 *νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου καὶ Νεαπόλεως ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα.* Quod ait auctor rerum gnarus, referendum esse non ad iuris condicionem, sed ad oppidanorum mores ipsa verba videntur significare. Sed tamen cum inscriptiones tam Neapolitanae quam Reginae declarent Graecum sermonem ibidem publice ita esse retentum, ut Latinum non excluderet et magistratus ibi reperiantur aliquamdiu binomines, idem fortasse etiam in Tarentinos cadit potestque referri ad reliquiarum eius oppidi paucitatem, quod similes titulos graecissantes inde habemus praeter eum, quem supra p. 149 not. 3 attuli, alios nullus. In lege quod Graecorum institutorum mentio non fit, eo minus rem decidit, quod sine dubio formam reddit universis oppidis Italicis communem quatenus opus erat ad Tarentum applicitam.

9) pro Archia 5, 10: *in eorum municipiorum tabulas,* quae verba referuntur ad ea quae praecedunt: *Reginos credo aut Locrenses aut Neapolitanos aut Tarentinos.* Cf. Verr. 4, 60, 135.

10) v. 8: *post h. l. datam.*

11) Composui exempla St. R. 3, 311 not. 5 cf. p. 583 not. 1. In coloniis deducendis aetate liberae rei publicae leges dare iubentur tresviri vel quo alio numero sunt, in municipiis constituendis et provinciis ordinandis collegii similis

cum populis Italicis quomodo instituta sit, optime explicant loci duo, alter legis Iuliae Caesaris[12]: *quei lege pl(ebei)ve sc(ito) permissus est fuit, utei leges in municipio fundano . . . daret, sei quid is post h(anc) l(egem) r(ogatam) in eo anno proxumo, quo h(anc l(egem) populus iuserit, ad eas leges [addiderit commutaverit conrexerit], municipes fundanos . . . teneto,* alter Caesaris in narratione rerum a. $\frac{705}{49}$ gestarum[13]: *Cingulum . . oppidum Labienus constituerat suaque pecunia exaedificaverat.* Liquido apparet, cum de civitate danda comitia statuissent, oppida tam Latini iuris quam foederata ut municipia civium Romanorum efficerentur, singula permissa esse civibus Romanis nobilibus, qui iurisdictionem dirimerent inter urbanos magistratus et municipales, formam magistratuum quatenus requirebatur, maxime in civitatibus foederatis commutarent, in summa re quidquid mutatio iuris requirebat perficerent, itaque municipium constituerent. Haec constitutio proxime accedit ad coloniae deductionem[14] nec dubium est et eodem iure, quo deductoris nomen a nova colonia adsumitur etiam constitutoris adsumi potuisse a novo municipio[15], et ut deductorem coloniae ita constitutorem municipii patronum oppidi fieri non adscitum, sed natum[16]. Ita Tarentum constitutum est inter a. 665 et 692[17]; quinam constituerit, ignoramus neque quod traditur Pompeium post bellum piraticum colonos aliquot 4
eo deduxisse[18] probabiliter cum constitutione municipii coniungitur.

---

mentionem non repperi. In his haec ordinatio solet perfici per imperatorem cum consilio (Cicero Verr. l. 2, 16, 40. 37, 90. St. R. 2^3, 692).

12) v. 159 seq.

13) b. c. 1, 15.

14) Lex Iulia agraria a. $\frac{695}{59}$ c. LIII: *quae colonia hac lege deducta quodve municipium . . . . constitutum erit;* c. LV: *qui hac lege coloniam deduxerit, municipium . . . . constituerit.* Ita modo vidimus a Labieno oppidum Cingulum constitutum esse.

15) Exemplum suppeditat Regium Julium.

16) Lex Gen. c. 97.

17) Ante a. $\frac{692}{62}$, quo Cicero pro Archia dixit, id factum sit necesse est (not. 7).

18) Servius ad Vergilii georg. 4, 127 laudans Suetonium: *Pompeius victis piratis Cilicibus partim ibidem in Graecia, partim in Calabria agros dedit, unde Lucanus* [1, 346]: *'an melius fient piratae, Magne, coloni'.* Similiter Probus ad georg. 4, 125: *Pompeius cum oppugnaret piratas, remigibus eorum promisit agros, si vicisset eorum adiutorio; quorum proditione victor Tarentinorum agros veteranis divisit et quidquid deterrimum fuit, remigibus dedit.* Sed haec narratio ut sit vera, pertinet ad tempora orationi illa pro Archia vix anteriora, cum Pompeius a. demum $\frac{692}{62}$ ex Asia redierit.

16. Divisione vocabulorum ubi opus est, ea fit secundum legem syllabariam; *pra|erit* quod legitur 7, 5 componendum est cum *pra|est* diplomatis Alexandri vol. III p. 893.

A soloecismis aevi posterioris lex fere immunis est; certe quae eo referri possis pauca admodum sunt, ut *aderint* modo allegatum, *queri* pro *quaeri* 3, 6, *queadmodum* bis 7, 14. 18 omissa *m* littera, denique *in Italiam* 7, 45. 8, 6, *in orchestram* 6, 48. 7, 8.

Litteris singularibus is qui legem scripsit usus est aut aliunde notis aut certe, ut *m(aior) p(ars)* 1, 10. 3, 9. 10. 18. 24. 4, 13. 5, 5. 9, *i(us) r(atum)q(ue)* 6, 37, interpretationis facilis certaeque, ut de paucis tantum opus esse visum sit in adnotatione legi subiecta diserte monere. Exceptionem faciunt notae 3, 16, nam tribus litteris A·D·A· quamquam nemo negabit significari *agrum dari adsignari,* reliquae obscuriores sunt et fortasse corruptae. Notae

Conspectum capitum quae supersunt subieci. Res tamen in lege perscriptae fuisse videntur certo ordine nullo; nam hoc si secutus esset qui legem conscripsit, certe c. XCVII. CXXX. CXXXI coniunxisset. Nihilominus apertum est idem argumentum saepe per plura capita continuari, id quod infra in conspectu indicavi. Adieci item ad singula capita enarrationis meae paginam. 124 Conspectus capitum

. . . . . .

[XCI]	1, 1—7	Decuriones sacerdotesque in oppido domicilium ut habeant p. 216. 221. 223 sq. 230
XCII	1, 8—18	De legationibus publice mittendis p. 226
XCIII	1, 19—26	Duovir ne de loco publico donum capiat p. 229

XCIIII	1, 27—31	Quibus magistratibus ius dicere liceat p. 235
XCV	1, 32—3, 2	De iudicio recuperatorio p. 230 sq.
XCVI	3, 3—12	Decurione postulante duovir de iudicio faciendo ad decuriones referat p. 227. 231
XCVII	3, 13—22	Patronus coloniae ne fiat nisi decreto decurionum p. 237 sq.
XCVIII	3, 23—36	De munitione decuriones quomodo decernere oporteat p. 214. 215. 236
XCVIIII	3, 37—4, 8	De aquis publicis ducendis decuriones quomodo decernere oporteat p. 227
C	4, 9—16	De aqua caduca in privatum ducenda decuriones decernere oportere p. 227
CI	4, 17—22	Magistratus ne creetur cui decurionem esse non liceat p. 213. 221
CII	4, 23—5, 1	De horis accusationis publicae definiendis p. 235
CIII	5, 2—9	De colonis armandis p. 214. 237
CIIII	5, 10—19	Limites fossaeque ne obsaepiantur p. 207
CV	5, 20—30	Qui ordine indignus iudicatus est, ne decurio sit p. 221. 222 sq.
CVI	5, 31. 32	Colonus coetum ne faciat p. 223
. . . . .		
[CXXIII]...	6, 1—3	Accusatus quomodo absolvatur p. 223. 235
CXXIIII	6, 4—10	De praemio accusatoris in iudicio de decurionis indignitate p. 223. 235
CXXV	6, 11—28	Ludis cui ius sit in loco decurionum sedendi p. 218 sq. 229
CXXVI	6, 29—47	Ludis scaenicis de locis dandis ut decuriones decernant p. 213. 218 sq. 236
CXXVII	6, 48—7, 11	Ludis scaenicis quibus ius sit in orchestra sedendi p. 218 sq.
CXXVIII	7, 12—31	Curatores fanorum quotannis facti ludos circenses sacrificiaque ut faciant p. 216 sq. 236
CXXIX	7, 32—38	Magistratus ut decurionum decretis obtemperent p. 226
CXXX	7, 39—51	Senator populi Romani quando patronus adoptari possit p. 236. 237 sq.
CXXXI	7, 52—8, 13	Senator populi Romani quando hospes adoptari possit p. 236. 237 sq.

CXXXII 8, 14—33 Petitor largitiones ne faciat neve convivia publica det p. 229
CXXXIII 8, 34—38 Mulieres colonorum coloniae legibus ut pareant p. 214
CXXXIV 8, 39—47 . . . Decuriones ab decretis remuneratoriis ambitiosis ut abstineant p. 228. 236

. . . . . .

Colonos divisos esse in tribus inde efficitur, quod magistratus creantur *pro tribu* (4, 18). Eas tribus non fuisse populi Romani, sed proprias coloniae huius vel inde intellegitur, quod Caesaris aetate uni soli ex populi Romani tribubus ut reliquarum coloniarum municipiorumque ita etiam coloniae Genetivae cives adscriptos fuisse certum est et exploratum. Post reperta aera municipiorum Latini iuris Malacae et Salpensae communis opinio obtinuit res publicas formae Romanae omnes distributas fuisse curiatim; ea enim ordinatio et in illis introducta est et alibi passim observatur, maxime in Africa (v. Marquardt *Staatsverwaltung* I², 139 sq.). Iam vero cum negari nequeat coloniam hanc a Caesare dictatore cum eam deduceret tributim ordinatam esse, accedantque tituli coloniae Augustae Lilybaei eam rem publicam duodecim tribuum fuisse declarantes[1], haud scio an Latinae formae rebus publicis et propterea municipiis tam propriae fuerint curiae quam tribus civium Romanorum coloniis ad ipsius Romae imaginem expressis. Non obstat, quod in oppidis Africanis tam municipiis quam coloniis solae curiae inveniuntur; nam ea aetate, qua instituta Romana in Africam migraverunt, coloniae municipiique proprietates per contaminationem formae utriusque iam aut evanuerant aut evanescebant. Ceterum curias tribusque nomine magis quam re differre et alibi demonstravi et notum est hodie pervulgatumque. Coloni. Tribus

Incolae commemorantur quater, scilicet ubi agitur de iure testimonii denuntiandi 2, 6, et ubi agitur de munitione et de defensione coloniae 3, 33. 5, 3 et ubi agitur de spectaculis 6, 31, ut in his omnibus colonis aequiparentur; id quod in spectaculis item pervenit ad Incolae 126

1) Inventi ibi sunt tituli duo (Torremuzza cl. 2 n. 8, 9 [= C. I. L. X 7233. 7206 = Dessau 6770 a b]), quos proconsuli Siciliae cuidam filioque eius posuerunt *XII trib(us)*, tertiusque quem alii cuidam fecerunt *tribules trib. Iovis Aug.* [C. I. L. X 7257 = Dessau 6770]. Coloniam Lilybaeum deductam esse ab Augusto demonstravit Henzenus (ann. inst. 1857 p. 115); unum addo in titulo corrupto Reines. 3, 28 [= C. I. L. X 7228] unde quidam efficere voluerunt coloniae eius cognomen sive Helviae sive Aeliae, in eo quod traditur a primario auctore Gualtero RESP COIHELY AVG LILYBIT latere COL · FL · AVG · LILYBIT.

hospites adventoresque eadem fere formula, quae balneis publicis inscribi solebat[1]. — Ubi agitur de colonia armis defendenda cum *incolae* dicantur *contributi*, videntur ibi intellegi non tam cives Romani originis diversae Ursone degentes (quamquam hos quoque ad defendendam coloniam adhibitos esse consentaneum est) quam populi sive Latini iuris sive peregrini novae coloniae attributi eo iure, quo Carnos Catalosque Tergestinis, Camunnos Brixianis Augustus attribuit[2]; sollemne enim est in his attribuendi sive contribuendi vocabulum, nec negari potest incolarum nomine etiam eiusmodi homines recte comprehendi. Quamquam recte fortasse Huschkius suasit ut emendetur *colon(os) incolasque contributos[que]*, ut addita particula incolae sint qui semper ita appellantur, contributi autem ab incolis distinguantur. — Eo autem loco quo de munitionibus agitur cum sic perscriptum sit: *qui in ea colonia intrave eius coloniae fines domicilium praediumve habebit neque eius coloniae colonus erit,* apparet plenius significari cum incolas tum possessores eos, qui nec cives nec incolae essent. —

Colonorum uxores

Denique quod aliunde quoque noramus civium uxores originis alienae in mariti civitate incolarum loco fuisse[3], id etiam huius legis c. CXXXIII cavetur. Nam *legibus coloniae virique parere*, quamdiu matrimonium durat, idem est atque incolam esse.

Militia

Munera colonorum incolarumque duo commemorantur notabilia omnino, scilicet militia 5, 2 sq. et munitio 3, 23 sq. Illam adhuc credidimus locum inter munera municipalia nullum habuisse; scilicet cum magistratibus populi Romani ius esset quibuscumque vellent sive civibus sive peregrinis militiae indicendae tam iusto delectu quam tumultuario, coloniarum municipiorumque magistratibus id ipsum nequaquam licuisse. Iam vero edocemur coloniae civium Romanorum in Hispania a dictatore Caesare deductae decurionibus, cum fines coloniae hostis invasisset invasurusve esset, ius fuisse de ea re decernendi decretoque facto licuisse IIviro eive, quem is suo loco armatis praefecisset, colonos incolasque qui arma ferre possent evocare educereque eique IIviro praefectove eius animadvertendi in

1) Titulus Interamnae Praetuttianorum repertus (C. I. L. IX 5074 = Dessau 5671) sic habet: *Q. C. Poppaeei Q. f. patron(i) municipi et coloniai municipibus, coloneis, incoleis, hospitibus, adventoribus lavationem in perpetuom de sua pecunia dant.* Similes sunt Vercellensis (Bruzza *iscr. Vercell.* p. 43 = C. I. L. V, 6668), Praenestinus (C. I. L. XIV 2979 = Dessau 5672), Suasanus (C. I. L. XI 6167 = Dessau 5673), nisi quod adduntur in Praenestino *servi eorum*, in Suasano *uxsores servei ancillaeque eorum.*

2) Marquardt *Staatsverwaltung* I², 15. Cf. C. I. L. V p. 53. 440.

3) Dig. 50, 1, 38, 3: *mulierem quamdiu nupta est incolam eiusdem civitatis videri, cuius maritus eius est, et ibi, unde originem trahit, non cogi muneribus fungi.* Kuhn, *städt. Verfassung* 1, 16.

milites idem ius fuisse, quod est tribuno militum in exercitu populi Romani. Scilicet *κύριός ἐστι*, Polybius[1] ait, *καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος καὶ ἐνεχυριάζων καὶ μαστιγῶν*, poenae autem supra multam pignera 127
verbera, puta capitis vel ignominiosae missionis ius ei non est. Haec constitutio utrum ad universas eius aetatis Romanae formae res publicas perveniat, an propter condicionem peculiarem oppidi conditi in media Hispania ulteriore provincia parum etiamtum pacata recepta sit, determinari non potest; sed etsi hoc praeferas, certe quae eodem loco essent colonias municipiaque provinciarum longinquarum eo iure non magis caruisse consentaneum est.

Etiam de munitione quae caventur c. XCVIII (3, 23—36) tam Munitio
novitate sua quam primitiva vetustate commendantur. Opera publica cum posteriore tempore perficerentur fere per redemptores, antiquissima consuetudo quae ipsis urbis moenibus nomen dedit, operarum tam hominum quam animalium ab ipsis civibus exigendarum ita oblitterata est, ut apud auctores quos habemus exilia tantum eius vestigia deprehendantur, maxime ubi agitur de via munienda[2]. Secundum hanc legem res ita ordinatur, ut decurionum sit decernere de muniendo; ita enim lex loquitur vetusto more, ut ipsum opus ne enuntiet, immo complectatur quascumque operas homines qualescumque animaliave facere possint, sive de via sternenda agitur sive de moenibus faciendis sive de aedificio aliquo extruendo. Indicuntur operae patrimoniis ad exemplum munerum eorum, quae, ut ait iuris auctor[3], *et hi qui neque municipes neque incolae sunt adgnoscere coguntur:* scilicet tam cives et incolae, etsi possessores non sunt, quam possessores, etsi neque cives sunt neque incolae, ad munitionem compelluntur. Negotium iniunctum duplex est: quicumque iumenta plaustraria habet, in iuga singula ternas per annum operas praestare cogitur; quicumque manu operam facere potest et annos natus est plus XIIII, minus LX quive servos habet ei operae pares eiusdemque aetatis[4], in singulos homines quinas per annum operas prae-

1) 6, 37, 8. Cf. Macer Dig. 49, 16, 12, 2: *officium tribunorum est .... delicta secundum suae auctoritatis modum castigare.*

2) Cicero pro Fonteio 8 [4] enarrat viae Domitiae munitionem factam iussu M. Fonteii proconsulis Galliae: *coacti sunt munire omnes et multorum opera improbata sunt* et quae sequuntur. Siculus Flaccus p. 146 postquam dixit de viis publicis quae per redemptores munirentur, *vicinales*, inquit, *aliter muniuntur, per pagos, id est per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt.* Cf. Cato de r. r. 2, 4. Cod. Theod. 15, 3. Kuhn *städt. Verfassung* 1, 62.

3) Dig. 50, 4, 18, 22.

4) Nam verba *in homines singulos puberes* videntur complecti tam liberos quam servos.

stare. Ad hanc legem quae proxime accedat, constitutio est a. 412 (Cod. Th. 15, 3, 5 = C. Iust. 10, 25, 2) haec: *per Bithyniam ceterasque provincias possessores et reparationi publici aggeris et ceteris eiusmodi muneribus pro iugorum numero vel capitum, quae possidere noscuntur, adstringi cogantur;* ubi iuga ad animalia spectare videntur, capita ad servos. Finitum fuisse eiusmodi operarum numerum per singulos annos exigendarum nunc primum certiores facti sumus. Aetatis termini cum per se notissimi sint, de anno XIIII pubertatis initio legi-
128 timo omnium quae habemus testimoniorum hoc ni fallor antiquissimum est[1]. Item sexagesimum annum cum leges recentiores de re municipali plane ignorent, antiquitus eum finem fuisse constat munerum publicorum principiumque iustae immunitatis[2].

Pontifices, augures

Sacerdotum collegia duo sola commemorantur augurum pontificumque (1, 1), quae notum est etiam in re publica Romana sola fuisse ipsi aequalia nec defuisse in ulla ad eius similitudinem instituta. Commemorantur autem ita, ut inde appareat a sacerdotibus illis pariter atque a decurionibus magistratum pignus capere potuisse, si qui eorum officio fungi detrectaret; quod Romae quoque obtinuisse Cicero significat, ubi ait[3] tribunum plebis pontifici *vel denuntiare* potuisse *vel etiam cogere.*

Cura fanorum

At novum omnino accidit quod c. CXXVIII perscriptum est de cura publica fanorum templorum delubrorum, scilicet singulis annis IIviros ex decurionum decreto ad singula fana magistros facere oportere, qui magistri ludos circenses, sacrificia, pulvinaria faciant. Nam *magistri fani* quidem aliquoties in lapidibus commemorantur[4], sed quo loco fuerint, parum noramus, cum praesertim reliquis illu-

1) Idem proponit Festus v. pubes p. 250. Iuris auctores Gaius 1, 196 et Ulpianus 11, 28 scholas de termino dissensisse referunt, ut eam quam Caesaris lex opinionem Proculiani secuti sint.

2) Varro apud Nonium p. 523: *cum ... habebant LX annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi.* Auctor ad Herenn. 2, 13, 20: *ut maior annis LX et cui morbus causa est, cognitorem det.* Vide de militari aetate Beckerum enchir. 2, 1, 215. 216, de senatoria ib. 2, 2, 407. — In re municipali quod postea obtinuit munerum civilium immunitatem incipere post annum septuagesimum (Dig. 50, 2, 2, 8. tit. 6, 4 [3]. Kuhn *städt. Verf.* 1, 70), non tam ad operas manu faciendas pertinet quam ad curationes similiaque.

3) De domo 45, 117. Cf. Liv. 33, 42.

4) Orell. 2218 = I. N. 3942 [C. I. L. X 4620]: *mag. fani Iunonis.* Orell. 3053 = I. N. 3636 [C. I. L. X 3924 = Dessau 6305]: *mag. fan. Dian. Tifat.* Non diversi sunt opinor *fanorum curatores* homines ingenui quattuor tituli Veronensis (Henzen 5990 = C. I. L. V, 3924; cf. ibidem n. 3310. 5311) similesque alibi (Henzen ind. p. 161. [Ruggiero, Dizionario epigrafico III 35]).

striores magistros Campanos apertum sit quodammodo successisse in locum magistratuum, qui eo tempore Capuae nulli erant, itaque quae de iis traduntur quatenus reliquis quoque apta sint iure dubitari poterat. Iam quod eorum tituli testantur Capuae magistros quotannis refectos esse ludosque edidisse (C. I. L. I p. 159) id ipsum ad omnes fanorum magistros pervenire haec lex ostendit, nec facile posthac quisquam negabit magistros fanorum, quales iam didicimus in colonia Genetiva creari solitos esse, etiam in reliquis coloniis municipiisque sacrorum curam similiter egisse. At et difficilius longe est et multo maioris momenti determinare, cura fanorum, scilicet 129
sacrificiorum pulvinarium ludorum circensium, Romae ad quem proprie spectarit. Magistratuum ea non fuit; nam sacra ii non faciunt nisi prout res incidit certam ob causam, et ne ludos quidem edunt nisi votivos et a cura fanorum omnino alienos; contra antiquissimi quique ludi et ex ipsa re sacra oriundi, ut Consualia et Equirria, non fiunt a magistratu ullo. Omnino si qua sacra stata annua paullo plenius cognita habemus, collegium aliquod invenitur eorum curam gerere, sacra facere ludosque edere. Ita Consualia illa edunt pontifices[1]; ita deae Diae sacrificiorum ludorumque curam agit collegium fratrum Arvalium praeside magistro; ita cum aedes Mercurii facta est, propter nova sacra mercatorum sive Mercurialium collegium sub magistris institutum est[2]; ita ludi Capitolini fiunt collegio ad ipsum constituto ex vicinia magistrorum Capitolinorum[3]. Haec collegia sunt ipsi illi magistri fanorum legis Iuliae; nam etiam in titulo Campano a. u. c. 660 (C. I. L. I n. 571 [X 3772 = Dessau 6302]) est *conlegium seive magistrei Iovei compagei.* Verum est similem ordinationem parum apparere in diis deabusque iis qui coluntur per flamines; sed accuratius inquirenti hic quoque sese offert. Scilicet ut deae Diae sacra per collegium Arvalium ita fiunt, ut quotannis magister et flamen ex eo collegio creentur, ita dii maiores tres, minores duo-

---

1) Varro 6, 20 ludos Consualibus ait fieri a sacerdotibus, quo nomine pontifices significari et ex ipso vocabuli usu sequitur et collato loco Tertulliani de spect. 5. Cf. Marquardt enchir. III², 335. 485, 4.

2) Liv. 2, 27, 5: *utri eorum* (consulum) *dedicatio iussu populi data esset, eum . . . mercatorum collegium instituere.* In titulo Henzeni n. 6010 [C. I. L. XIV 2105] reperitur *mag. colleg. Mercurial.* Cf. C. I. L. I p. 206.

3) Liv. 5, 50, 4: *ludi Capitolini fierent* (propter Capitolium a Gallia defensum) *. . . collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atque in arce habitarent.* In titulis Henzeni n. 6010 [C. I. L. XIV 2105] et C. I. L. I n. 805 [C. I. L. X 6488] est *mag. colleg. Capitolinor.* sive *mag. Capi[tol.]*. Cf. C. I. L. I p. 206 quaeque de collegiis sacrorum causa institutis diligenter exposuit Marquardtius in enchir. III², 135 sq.

decim per pontifices flaminesque ita coluntur, ut magistri locum perpetuo teneat pontifex maximus (cuius vices qui facit cum pro magistro appelletur, ipse magister sit necesse est), singulis autem flamines perpetui attributi sint, quorum maiores certum est collegio pontificum comprehendi, minores probabile. Sed haec accurate et plene enarrare non huius loci est; sufficit primis lineis rem adumbravisse. Scilicet origine res sacra ita ordinata videtur esse, ut qui rebus praeessent reges et deinde consules singulis templis quotannis certum hominum numerum ex vicinia fere delectorum attribuerent, qui sacrificia ludosque procurarent. Mature autem collegia haec ita potissimum constituta sunt, ut in vicem creationis per magistratus quotannis factae cooptatio succederet, sive ita ut officio eo functi fungentesque quotannis adlegerent qui anno proximo in suum locum subirent, ut factum est fortasse in Mercurialibus et Capitolinis, sive ita ut sacer-
130 dotes perpetui fierent ea ratione, quae postea obtinuit in pontificibus et fratribus Arvalibus. Sed etiam Romae fieri potest, ut Caesaris aetate fana fuerint publice dedicata, quibus cum collegia perpetua nulla attributa essent, curatores dandi essent a magistratibus. Immo quae tradita accepimus de magistris vicorum pagorumque cum liberae rei publicae aetatis tum posterioris haud scio an huc pertineant; neque enim hi magistratus sunt qui item sacra curant, sed sacerdotes praeter sacra etiam ad publica quaedam negotia vocati. Ad id exemplum cum coloniae constituerentur, duoviri eorum (nam de aedilibus vide observata p. 235 sq.) iubeantur ex decurionum decreto curatores fanorum quotannis quot oporteret facere. — De ipsis caerimoniis hoc solum adnoto antiquissimas esse omnes sacrificia, pulvinaria sive lectisternia[1], ludos circenses; quibus scaenici non magis adiuncti sunt quam in ludis urbanis antiquissimis Consualibus et Equirribus.

Cura ludorum

De locis ludorum spectandorum causa attribuendis tria capita CXXV. CXXVI. CXXVII ita agunt, ut primum pertineat ad ludos in universum, duo alia ad solos scaenicos. Et hos quidem facere dicuntur magistratus coloniae aliive; illi circenses potissimum esse videntur, maxime opinor ii, quos magistros fanorum lex facere iubet c. CXXVIII (7, 17. 19), quod caput ob id ipsum ea excipit quae de spectaculis sunt[2]. Et decurionibus quidem in ludis spectandis seorsum locum dandum esse cum in universum cavetur c. CXXV (id

Decurionum in spectaculis locus

1) Intelleguntur sine dubio lectisternia fanorum eorum, *in quibus*, ut ait Livius 36, 1, 2. 42, 30, 8 (cf. 40, 59, 7), *lectisternium maiorem partem anni fieri solet*. Cf. Liv. 5, 52, 6: *in Iovis epulo num alibi quam in Capitolio pulvinar suscipi potest?*

2) Propterea etiam ludi ibi praecedunt sacrificia.

quod item significatur in lege Iulia municipali[1]), tum in scaenicis ludis c. CXXVII orchestra iis reservatur. Similiter Romae quoque obtinuit. Scilicet in ludis circensibus etsi certa et perpetua loca senatores a Claudio demum acceperunt, seorsum dudum ante spectabant[2]. Plane sic in colonia Genetiva non certa quaedam loca circi decurionum propria fuerunt, sed cum ludi fierent pro re locus quidam decurionibus datus adsignatus relictusve est. At in ludis scaenicis notissimum est in urbe a. u. c. 560 senatores non solum promiscue spectare desiisse, sed etiam statum in theatro locum orchestram accepisse[3], plane ut hac quoque lege cavetur. Simile ius equitibus quoque fuisse nec haec lex significat neque Iulia municipalis, neque aliud eius iuris extra urbem propagati indicium ullum repperi, ut quae de ea re leges latae sunt, ad solam urbem pertinuisse videantur. [Sed cf. C. I. L. XII 1241 cum adnotatione Hirschfeldii]. 131

Quibus ius sit spectandi inter decuriones

Ut de iure decurionum non promiscue spectandi quae alibi traduntur haec lex confirmat et illustrat, ita primum accuratius determinat, quinam praeter ipsos decuriones ad eius iuris communionem Caesaris scilicet aetate admitterentur. Sunt autem hi.

1. Magistratus prove magistratu coloniae qui sint, ut in curia adsunt, licet ipsi senatores non sint, ita in theatro quoque senatoribus eos adsidere lex cavet 6, 13—17: *quive tum magistratus imperium potestatemve colonorum suffragio geret iussuque C. Caesaris dictatoris consulis prove consule habebit, quive pro quo imperio potestate tum in colonia Genetiva erit.* In urbe magistratibus tam in circo quam in theatro sua loca erant[4], quae decurionum locis comprehensa fuisse iam intellegitur.

1) V. 138: *neve quis eorum ludeis cumve gladiatores ibei pugnabunt in loco senatorio decurionum conscriptorum sedeto neve spectato.* Cf. v. 133.

2) Dio 60, 7: *καὶ ἑώρων μέν που καὶ πρότερον ἐν αὐτῷ (τῷ ἱπποδρόμῳ) ἰδίᾳ καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι τό τε βουλεῦον καὶ τὸ ἱππεῦον καὶ ὁ ὅμιλος, ἀφ' οὗπερ τοῦτ' ἐνομίσθη, οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο· ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τήν τε ἕδραν τὴν νῦν οὖσαν τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε.* Illam separationem cum Livius 1, 35 ad ipsum circi conditorem retrahat, Dio 55, 22 ad Augustum revocare videtur; quorum illud ad verum propius accedere et Iustini de Massiliensibus narratio (v. p. 220 not. 4) ostendit et haec lex ipsa. Nam sane, nisi Caesaris tempore eiusmodi separatio in urbe obtinuisset, in lege municipali sua haecque coloniae suae eam non posuisset. Non optime de hac re egit Beckerus in enchir. 2, 1, 282; nec L. Friedländer enchir. 4, 497 [nunc emendatius III[2] 507] satis distinxit id de quo tota quaestio pendet ius spectandi in loco separato et ius locorum certorum perpetuorumque.

3) Vitruv. 5, 6, 2: *in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata.* Sueton. Aug. 35: *servavitque etiam excusatis insigne vestis et spectandi in orchestra epulandique publice ius.*

4) *Staatsrecht* I[3], 406.

2. Quibus decurionum decreto locus datus est inter decuriones (6, 17—19), ii fere sunt, quibus ornamenta decurionalia data relictave sunt, nam inter ea 'locus senatorius ludis', ut Cicero[1] ait, sive consessus ab ordine datus, ut est in titulo Lugudunensi[2], vel praecipuum est.

3. Senatori populi Romani quive senator fuit, item filio eius ius esse in coloniis municipiisve sedendi inter decuriones (7, 2. 3) cum antea quoque obtinuisset, Augustus diligentius sanxit[3]. Idem Polemo Ponti rex, cum inter socios et amicos populi Romani adscriptus esset, in suo regno senatoribus populi Romani permisit[4]. Senator qui fuit cum commemoratur, de damnato praesertim vel a censore ordine moto videtur cogitatum esse.

132 4. Magistratum populi Romani prove magistratu consentaneum est, etsi senator non sit, exempli causa tribunus militum a populo factus, pariter atque senatorem in decurionum loco sedere (7, 1. 2). Eodem refero eum *qui iure dicundo praerit* (7, 2) qui simul nominatur; scilicet videtur intellegi legatus adsessorve proconsulis, qui cum Caesaris tempore necdum pro magistratu esset (nam postea demum legati ii facti sunt pro praetore), seorsum de eo cavendum fuit.

5. *Praefectus fabrum eius magistratus prove magistratu qui provinciarum Hispaniarum ulteriorem obtinebit* (7, 4) licet equestri loco esset, nihilo minus inter decuriones ei spectandi ius fuit.

Loci dati ludis scaenicis decurionum decreto

Denique quod in ludis scaenicis edendis c. CXXVI eorum domino ita ius datur locorum dandorum, ut si quam legem decuriones ei rei posuerint, ei obtemperandum sit, pertinet id quodammodo ad ambitus leges, quibus de hisce locis dandis diligenter

---

1) Pro Cluent. 47, 132. Cf. quae dixi de ea re *Staatsrecht* I³, 459.

2) Henzen 7007 [C. I. L. XIII 1954 = Dessau 7030]: *cui ordo splendidissim. civitat. Albensium consessum dedit.* Centumviri Veientes decernunt, C. Iulius Gelos *ut Augustalium numero habeatur liceatque ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere cenisque omnibus publicis inter centumviros interesse* (Orell. 4046 [C. I. L. XI 3805 = Dessau 6579]).

3) Sueton. Aug. 44: *spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinavitque, motus iniuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat: facto igitur decreto patrum, ut, quotiens quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus* cet.

4) Dio 53, 25: *καὶ προεδρία τοῖς βουλευταῖς ἐν πάσῃ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ ἐς πάντα τὰ θέατρα ἐδόθη.* Massiliensibus post Romam a Gallis liberatam *locus spectaculorum in senatu datus est* (Iustin. 43, 5, 10). Etiam Traianus legatis regum Romae locum in spectaculis dedit inter senatores (Dio 68, 15 [T. III p. 191 ed. Boissevain]). Cf. Sueton. Aug. 44.

cavebatur[1], quamquam id ipsum ludos quicumque fierent senatum ita moderatum esse alibi non traditur.

Decurionum vocabulum in lege perpetuum est neque usquam additur, quod additur perpetuo in lege Iulia municipali et passim in Flaviis legibus, *conscriptive*. — Decurio coloniae quinam fieri posset vel non posset in lege perscriptum fuisse inde intellegitur, quod c. CI magistratus eius petitoris comitiis rationem habere vetatur, quem ob quam causam decurionem nominari non liceat, item c. CV qui propter indignitatem ordine motus est, etiam ab honoribus petendis arcetur; ut similiter in lege municipali Caesaris dictatoris[2] cui ea lege in decurionibus esse non liceat, interdicitur ab honore eo petendo, ex quo in eum ordinem perveniatur. Propter id ipsum cum in aere 1, 1 decuriones augures pontifices annis V proximis postquam facti sint domicilium in urbem transferre iubentur, magistratus non adscribuntur, scilicet IIviraliciis et aediliciis ipso iure inter decuriones adscitis. Sed ea pars legis, qua continebatur decurio qui fieri posset, ad nos non pervenit; solummodo ex clausula, quae de indignitate decurionis propterea quod libertinus sit quaestionem fieri vetat (5, 21), hoc intellegitur, cum praeterea decurio fieri non posset nisi ingenuus[3], in colonia Genetiva etiam libertinos cum ad honores tum in curiam admissos esse. Neque in eo solo oppido id Caesari videtur placuisse. Ex colonia Iulia Curubi, quae in Africa est, nuper innotuit titulus hic[4]: *C. Caesare imp. cos. II*[*ii*] (a. 709) *L. Pomponius L. l. Malc*[*us*] *duo vir V murum oppidi totum ex saxo quadrato aedific*(*andum*) *coer*(*avit*). Nuperrime item Formiis alterum habuimus[5] eiusdem fere aetatis (nam cui positus est, accensus fuit T. Sextii eius qui Numidiam obtinuit a. u. c. 710—713) *M. Caelii*

Decuriones

Ordinis libertini

133

1) Cicero pro Murena 32, 67: *dixisti senatus consultum me referente esse factum, ... si gladiatoribus vulgo locus tributus et item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Id deinde enarrat c. 34. 35. Cicero in Vatin. 15, 37: *cum mea lex dilucide vetet biennio quo quis petat petiturusve sit gladiatores dare nisi ex testamento praestituta die.*

2) v. 135. Etiam legis Malacitanae c. LIIII magistratum petere vetatur *qui in eorum qua causa erit, propter quam, si c*(*ivis*) *R*(*omanus*) *esset, in numero decurionum conscriptorumque eum esse non liceret;* quo remittimur ad ipsam legem Iuliam municipalem. V. comm. meum p. 417. [Sed cf. etiam supra pag. 153].

3) Lex Malac. c. 54 cum commentario meo p. 416. Marquardt *Staatsverw.* I², 178.

4) Guérin *voy. en Tunisie* 2, 212. [C. I. L. VIII 977 cf. 12451 = Dessau 5320]. Cf. Marquardt *Staatsverw.* I², 178 n. 3.

5) *Bullett. dell' instituto* 1873 p. 87 [C. I. L. X 6104 = Dessau 1945].

M. l. Philerotis Carthag(ine) aed(ilis), praef(ecti) i. d. . . . ., IIvir(i) Clupeae bis. Carthaginem coloniam deductam esse a Caesare notum est: Clupea quoque oppidum Curubi proximum et ipsa inter colonias Iulias videtur fuisse[1]. Tenemus igitur tres colonias easque Iulias Caesaris dictatoris omnes, Ursonem in Hispania ulteriore, Curubim et Clupeam in Africa, ubi praeter consuetudinem libertinis licuerit honores petere et in curia sedere. Iam cum rerum auctores referant Caesarem octoginta civium milibus in transmarinas colonias distributis urbem exhausisse[2] eosque ex libertino genere maxime traxisse[3], primum intellegitur, cur in coloniis illis transmarinis cum primum decuriones magistratusque crearentur (nam perpetuo id licuisse nequaquam probabile est) etiam libertini homines pariter atque ingenui ad honores admissi inveniantur. Deinde item patefactum est, colonia Iulia Genetiva quam ob causam dicta sit Urbanorum (v. p. 206).

Iudicium de indignitate decurionis

Decurionem ex ordine eici potuisse poenae nomine iudicio publico populi Romani condemnatum iura quae supersunt satis testantur[4]. At etiam apud magistratus municipales decurionem de indignitate accusari posse eoque iudicio publico condemnatum e senatu eici, qua de re cavetur legis c. CV, omnino novum est; equidem certe non repperi quod constet eo pertinere[5]. Nam quod proxime accedit
134 Pompeia lege de Bithynia provincia ordinanda sanctum esse, quibus de causis in senatu qui essent a censoribus eicerentur[6], ad censoriam de senatoribus notionem expressum est et ab iudicio publico huiusce legis diversum. Quibus de causis eiusmodi accusatio fieri potuerit,

1) Curubis et Clupeae, quae proximae sunt, condicionem eandem fuisse significat Plinius h. n. 5, 4, 24: *liberum (oppidum) Clupea in promuntorio Mercurio, item libera Curubis.* Denique utraque habuit vel Caesaris tempore duumviros.

2) Sueton. Caes. 42.

3) Strabo 8, 6, 23: (Corinthus) *ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ . . . ἐποίκους πέμψαντος τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους.* Idem scribit 17, 3, 15 p. 833 eodem tempore Caesarem Carthaginem misisse *ἐποίκους Ῥωμαίων τοὺς προαιρουμένους καὶ τῶν στρατιωτῶν τινας.*

4) Ita ordine moventur qui falsum testimonium dixerunt (Paulus s. r. 5, 15, 5 cf. Dig. 48, 10, 13, 1), item abigei (Dig. 47, 14, 1, 3), stellionatus rei (Dig. 47, 20, 3, 2).

5) Quod rescripserunt divi fratres *non admitti contradicere volentem, quod non recte quis sit creatus decurio, cum initio contradicere debuerit* (Dig. 50, 2, 13, 3), quamquam apud magistratus municipales contra dicendum fuit, quippe ad quos decurionum creatio spectaret, omnino diversum est ab huius legis iudicio publico.

6) Plinius ep. ad Trai. 114. 115.

ex legis reliquiis non apparet, quippe quae praeter caput illud generale non habeant nisi duo alia CXXIII de absolutione et CXXIV de praemiis accusatorum in iudicio de indignitate. Capitum autem ordo etsi multis locis in hac lege casu magis quam consilio effectus esse videtur, haec e contrario ita comparata esse invenies, maxime collata lege repetundarum, ubi similiter agitur de reo absolvendo v. 54. 55, de praemiis accusatorum in extrema lege v. 76 sq., ut iudicium de indignitate ordine expositum fuisse videatur a c. CV ad CXXIV; primum eorum postremaque duo superesse, media intercidisse et in his causarum indignitatis enarrationem. Quod si ita est, quae supersunt prima verba c. CVI cum agant de colono qui coetum conventum coniurationem fecerit (quibus verbis maiestatis crimen videtur significari)[1], fortasse id ipsum numerabatur inter causas indignitatis. — Ceterum quod lex accusatori permittit, si ipse decurio sit locumque in ordine inferiorem quam is quem accusat teneat, in condemnati locum ut succedat, expressum est ex legibus Romanis, quarum praemiis accusatores *praetoriam sententiam et practextam togam* consequi potuisse Cicero[2] testatur.

Decurionum in oppido domicilium

Ex ipso harum tabularum principio perspicitur decurionem domicilium habere oportuisse in oppido propiusve id oppidum p. M, ut qui non haberet annis V proximis postquam decurio factus est, eius nomen de decurionibus eximendum curare IIviri iuberentur. Oppidum notum est ab urbe ita differre, ut a senatoribus differunt decuriones; significatur ita locus moenibus conclusus[3] vocabulo minus honorifico et propterea in coloniis municipiisque sollemni. Clausulam illam eo tendere, ut decurio in curiam vocatus si ire nollet, prompte cogi posset a IIviro pignore capto lex significat; neque ignotum est eiusmodi ius magistratus adversus senatorem infrequentem[4]. Ipsa autem lex, quam in coloniae suae legibus Caesar posuit decurionem fieri

Pignus captum a decurione

135 Urbani

1) Cf. Dig. 48, 4, 1, 1: *maiestatis crimen . . est . . . quo coetus conventusve fiat;* l. 4: *cuiusque dolo malo iureiurando quis adactus est, quo adversus rem publicam faciat.*

2) Pro Balbo 25, 57. Dixi de eius modi praemiis ad legis repetundarum v. 77 supra pag. 61.

3) Varro 5, 141: *moenus quo saepiebant oppidum.* Pro eo quod est in aere *in ea col. oppido* recte opinor Berlanga emendavit *in eius col(oniae) oppido,* nam etiam 3, 37 est *quae aquae in oppido colon(iae) Gen(etivae) adducentur.* Plane simile tamen eiusmodi locutionis exemplum alibi non repperi, licet quae de oppido Britannorum Caesar b. Gall. 5, 21, 3 habet quodammodo etiam coloniae oppido patrocinentur. [Cf. supra pag. 158 n. 54].

4) Cf. Liv. 3, 38, 11: *patrum haud fere quisquam in foro, in urbe rari erant: indignitate rerum cesserant in agros . . . . postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda sciscitandumque, num consulto*

non posse nisi in urbe degentem redit etiam in iure quod habemus, quamquam adhuc parum intellecta[1]. *Qui in fraudem ordinis* Ulpianus[2] ait, *in honoribus gerendis, cum inter eos ad primos honores qui creari possent in civitate numerabantur*[3], *evitandorum maiorum onerum gratia ad colonos praediorum se transtulerunt, ut minoribus subiciantur, hanc excusationem sibi non paraverunt:* scilicet plane ut in lege est, qui in urbe degit, decurio nominari potest magistratusque creari, in praediis agens communibus tantum civilibus muneribus subiacet, vel, ut rescribit Diocletianus cum collegis[4], *est verum eos, qui in territorio alicuius civitatis commorantur, velut incolas ad subeunda munera vel capiendos honores non adstringi.* Eodem spectat quod qui extra oppidum in territorio alicubi agit, incola esse modo dicitur[5], modo ita negatur[6], ut ne liceat rure degenti oppidi commodis frui[7]. Scilicet incola est ad reliqua, non est incola ad honores similiaque. Ceterum quamquam rure degens nullo tempore ad honores admissus est, inde nequaquam sequitur cuivis liberum fuisse in rure potius quam in oppido agere. Immo eo nomine cives et incolae diversi iuris videntur fuisse, ut illi, si honoribus subeundis pares essent, cogi possent domicilium in oppidum transferre, incolis autem liberum esset et commodis et oneribus urbanorum pariter abstinere. Et de civibus quidem cogitavit Ulpianus eo loco quem primum recitavi, ad incolas autem reliqui auctores respexerunt. Quod confirmat testamenti locus tituli Siccensis[8] hic: *legi autem debebunt* (inter pueros publice alendos)

detrectarent. referunt senatum in agris esse. De multa senatori propter infrequentiam iniungenda dixerunt Becker et Marquardt enchir. 2, 2, 406. 2, 3. 225. [Staatsr. III 915].

1) Diligentius quam felicius de civium urbanorum rusticorumque condicione diversa egit Kuhn *städt. Verf.* 1, 29 sq.

2) Dig. 50, 5, 1, 2.

3) *Honores creari possint qui in civitate munerabantur* codex.

4) Cod. Iust. 10, 40 (39), 3.

5) Pomponius Dig. 50, 16, 239, 2: *nec tantum hi qui in oppido morantur incolae sed etiam, qui alicuius oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant.*

6) Modestinus Dig. 50, 1, 35: *εἰδέναι χρὴ ὅτι ὁ ἐν ἀγρῷ καταμένων ἐνκόλας οὐ νομίζεται.*

7) Modestinus l. c.: *ὁ γὰρ ἐκείνης τῆς πόλεως ἐξαιρέτοις μὴ χρώμενος οὕτως οὐ νομίζεται ἐνκόλας.* Ulpianus 50, 1, 27, 1; *si quis negotia sua non in colonia* (id est in rure), *sed in municipio semper agit, in illo vendit emit contrahit, in eo foro balineo spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruitur, [videtur] ibi magis habere domicilium quam ubi colendi causa deversatur.*

8) Guérin *voy. en Tunisie* 2, 59 [C. I. L. VIII 1641 = Brunsii Fontes[6] n. 124 = Dessau 6818].

municipes, item incolae, dumtaxat incolae, qui intra continentia coloniae nostrae aedificia morabuntur. — Ita qui toties commemorantur in titulis *municipes intramurani*[1] sive *oppidani*[2] sive *urbani*[3], eos 136
iam intellegimus etiam iure differre a reliquis. Quid quod cum passim titulos, intra muros scilicet, dedicarit *plebs urbana*, viro primario Veronensi titulum[4] posuisse invenitur *plebs univer(sa)*, scilicet tam urbana quam rustica, eumque titulum non Veronae proposuit, sed extra urbem Colognolae.

Decretum decurionum ut iure fiat, plerumque certus numerus ut adsit requiritur. Nam de una tantum re, scilicet hostibus coloniae territorium invadentibus decuriones quotcumque adsunt ut decernant permittitur (5, 5); scilicet ibi periculum est in mora. Altero enim loco (7, 15), ubi de cura templorum agitur, non tam idem permittitur quam numerus decurionum legitimus non enuntiatur. Praeterea singulis locis diserte de eo cavetur neque tamen pariter ubivis. Nam quattuor capitibus requiritur, ut adsit *non minus maior pars* (sic 3, 9) sive *maior pars* (sic 1, 9. 3, 24. 8, 5), uno ut adsit *non minus dimidia pars* (6, 18), duobus, ut adsint *non minus L* (3, 19. 6, 33), quod eodem videtur redire, cum decuriones centum in municipiis esse soleant[5]. Tribus tantum locis numerus dimidio maior minorve exigitur, et duobus quidem maior, *duarum partium* (4, 2) altero, altero *trium partium* (7, 43), uno minor, ut adsint *non minus XXXX* (4, 12)[6]. Convenit igitur lex haec Iulia cum municipali Caesaris, quae et ipsa (v. 149) legatos per maiorem partem decurionum creari iubet, receduntque ambae a lege municipali ea quam Ulpianus[7] scribit cavere, ut ordo non aliter habeatur quam duabus partibus adhibitis, quam legem et edictum Augusti de aquaeductu Venafrano et Flaviae leges Salpensana et Malacitana fere sequuntur[8]. Quapropter haud scio an vetusta lex maiorem tantum decurionum partem requirens ab Augusto demum mutata sit substituto duarum partium numero. Senatum Romanum cum constet ne liberae quidem rei publicae aetate decernere potuisse, nisi ad numerum senatores essent, is numerus qui

Decreta decurionum quomodo fiant

1) C. I. L. XI 3797 = Dessau 922. C. I. L. XI 3808 = Dessau 6582 c.

2) Henzen 6987 [C. I. L. IX 2473 = Dessau 6521].

3) C. I. L. V 7696. IX 2568 (= Dessau 6522). 2855 (= Dessau 5501). 6257 (= Dessau 5729). X 5059 (= Dessau 930a), item *plebs urbana* passim (vide Henzen ind. p. 150).

4) Vol. V n. 3341 = Henzen 5991.

5) Marquardt *Staatsverwaltung* I², 184.

6) [His adde quae infra leguntur pag. 254].

7) Dig. 50, 9, 3.

8) V. comm. meum p. 412; Marquardt *Staatsverwaltung* I², 193.

fuerit non constet[1], hac lege collata probabile est maiorem partem senatorum adesse debuisse, nisi speciali lege aliqua aut de maiore aut de minore cautum esset.

Eorum senatorum qui adsint ut maior pars consentiat plerumque sufficit, id quod passim (1, 11. 3, 11. 18. 4, 3. 13) diserte enuntiatur. Exceptionem faciunt duo capita de hospite (8, 5) patronoque (7, 44) eligendo: ibi enim non tantum ut adsint maior pars duaeve partes exigitur, sed etiam ut tot numero consentiant. *Per tabellam* ut
137 suffragium feratur, cautum est de decretis iis, quibus patroni hospitesque fiunt (3, 18. 7, 44. 8, 5); id quod de eadem re legis Malacitanae c. LXI praescribitur. Quod additur ibidem decuriones de ea re sententiam ferre oportere iuratos, lex coloniae Genetivae non habet.

Decurionum decretis ut magistratus teneantur

Decurionum decretis non solum in certis quibusdam negotiis magistratui opus est, sed praeterea c. CXXIX legis (7, 32—38) in universum magistratus quicumque sunt itemque decuriones singuli iis *diligenter parere et obtemperare* iubentur addita multa sestertium denum milium in res singulas, si quis ita non fecerit. Quod ita obtinuisse antea ignorabamus. Nec ab iis qui rerum Romanarum statum penitus cognoscere cupiunt neglegendum est vel a dictatore Caesare decurionibus id ius adversus magistratus lege diserte confirmatum esse.

Causae, propter quas magistratus decuriones consulere hac lege iubetur hae sunt.

1. De munitione colonorum incolarumque quomodo decernant decuriones, supra p. 215 vidimus.

2. De armandis ob incursionem hostilem colonis decernere decuriones item supra p. 214 vidimus.

3. Magistros fanorum a duoviris constitui eorumque sacra ordinari ex decurionum decreto vidimus p. 216.

4. Ludis decuriones et aliis quibusdam personis permittere, ut inter ipsos spectent, et scaenicis certe dominum ludorum loca arbitratu decurionum distribuisse vidimus p. 218.

5. Patronos hospitesque coloniae quomodo adoptentur decurionum decreto, infra p. 237 enarratur.

Legationes

6. De legationibus publice mittendis quae caventur c. XCII (1. 1—18), omnia nota sunt; etiam de iure legati vicarium dandi Papinianus[2]: *Vicarius,* inquit, *alieni muneris voluntate sua datus*

1) Becker in enchir. 2, 2. 436. 441; Marquardt ib. 2, 3, 225. [Staatsr. III 989 sq.]
2) Dig. 50, 7, 14 [13].

ordine suo legationem suscipere . . . cogitur. Quod autem alibi legitur[1] legatum vicarium dare non posse nisi filium suum, ita videtur accipiendum esse posse eum alium quoque dare consentientem, in filio suo consensum non requiri.

Cura aquarum

7. Ad aquas publicas quod attinet decuriones cum decernunt, per quos agros ducantur (c. XCVIIII 3, 37 — 4, 8), tum aquam caducam privato petenti concedunt (c. C 4, 9—16). Cum illo capite conferendum est quod scribit Frontinus de aquis c. 128: *maiores nostri admirabili aequitate ne ea quidem eripuerunt privatis quae ad modum publicum pertinebant, sed cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendunda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt et post determinata necessaria loca rursus cum agrum vendiderunt.* Videntur itaque leges de ea re latae curatoribus operis hoc certe 138
permisisse, ut aestimatione oblata universum agrum domino etiam nolenti auferrent; fere ut Augusto imperante senatus censuit quodcumque ad aquae ductum reficiendum opus sit ex agris privatorum aestimatum sumi licere (Frontin. l. c. c. 125). Aedificiis tamen in ductu instituendo parci lex iubet; similiter senatus consulto eo quod refert Frontinus c. 127 utraque ex parte aquae ductus quini pedes ita vacui relinqui iubentur, ut in iis locis arbores tollantur praeter eas, quae villis conclusae essent, nec deinceps ullae conserantur, aedificia nulla nova fiant, sed ante facta remaneant. — Caput de aqua caduca plane convenit cum Frontino c. 94: *apud veteres . . . . omnis aqua in usus publicos erogabatur et cautum ita fuit: 'ne quis privatus aliam* [aquam] *ducat, quam quae ex lacu humum accidit' — haec enim sunt verba legis — id est quae ex lacu abundavit: eam nos caducam vocamus.* Idem cum addat aquam caducam dari solitam esse aut in usum balnearum fullonicarumve imposito vectigali aut in domos principum civitatis concedentibus reliquis, etiam in urbe de ea aqua senatus pro re decrevisse videtur, ut modo propter publicam utilitatem petenti daretur, modo honoris causa primariis viris concederetur.

Cura pecuniae publicae reditumque publicorum

8. Ad pecuniam publicam reditusque publicos administrandos in hisce tabulis quae spectant non multa, ea hoc loco composuimus.

Capite XCVI duovir iubetur ad decuriones primo quoque die referre de iudicio, quod alicui ex decurionibus de pecunia publica multave in publicum redigenda locove publico instituendum esse videatur.

---

1) Dig. 50, 7, 5 [4], 4.

Capite CXXXIV eorum quae habemus extremo eoque imperfecto de eo, qui civitati honorem aliquem habiturus sit munusve det polliceaturve statuamve aliquam dare ponereve promiserit, cavetur, ne ob eam rem pecunia publica aliudve quid[1] ei detur donetur. Itaque qui largitionem aliquam civibus facturus est, universam suo sumptu perficiat necesse est neque quicquam in eam rem aerarium contribuat. Comparari potest quod Paulus scribit[2]: *civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet: ad ornatum puta quod ad instruendum forum theatrum stadium legatum fuerit: ad honorem puta quod ad munus edendum venationemve ludos scaenicos ludos circenses relictum fuerit aut quod ad divisionem singulorum civium vel epulum relictum fuerit. hoc amplius quod in alimenta infirmae aetatis, puta senioribus vel pueris puellisque, relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur.* Neque ipsa res dubia est. *Ambitiosa decreta decurionum,* Ulpianus[3] ait, *rescindi debent: proinde ut solent, sive aliquem debitorem dimiserint sive largiti sunt sive decreverint de publico alicui vel praedia vel aedes vel certam quantitatem praestari, nihil valebit huiusmodi decretum.* Sed ambitiosum decretum ne tum quidem ratum esse, cum largitionem quodammodo remuneretur, ut non ambigui iuris est, ita, quod sciam, alibi non est testatum.

139 Capite XCIII vetatur duovir praefectusve de loco publico prove loco publico vel a redemptore mancipe praede donum munus mercedem capere. Quod cum expressum videatur ad publica iura populi Romani, quanam lege secundum ea teneatur qui eiusmodi donum accepit difficile dictu est; nam repetundarum crimen sociale est neque aliud ullum aptum. Fortasse cogitandum est de lege ea, quam Cicero[4] sic effert: *donum ne capiunto neve danto neve petenda neve gerenda neve gesta potestate;* haec enim ambitum quidem comprehendit, sed item ad ea dona de quibus quaerimus recte videtur referri. Legem autem Cinciam cum constet prohibuisse, quominus cliens patrono donum munusve daret[5], eadem alio capite de donis a redemptore magistratui oblatis cavisse potest.

---

1) Aut, si magis placet, *a*[*ut pro ea*] *quid*; tabula enim hoc loco hiat.
2) Dig. 30, 122 pr.
3) Dig. 50, 9, 4. [Cf. Pernice, Labeo I 285.]
4) De leg. 3, 4, 11.
5) Vide quae dixi *röm. Forsch.* 1, 367. [Cf. Strafrecht 705 sq.]

Magistratibus coloniae adscribitur imperium potestasque (*suo quoque anno magistratu imperioque* 7, 12; *quive tum magistratus imperium potestatem . . . . habebit* 6, 13; cf. 1, 8: *IIviri quicumque in ea colonia magistratum habebunt*). Opponitur ipsi magistratui 6, 16 *qui pro quo imperio potestateve tum in colonia Genetiva erit* similiterque 3, 13 *IIvir* ei qui *pro potestate* est; utroque loco praefectus videtur significari. Quamquam alibi 1, 29 verbis *pro eo imperio potestate* IIvir praefectus aedilisque comprehenduntur. — Verba 6, 13: *quive tum magistratus imperium potestatem colonorum suffragio geret* (*geret* del.) *iussuque C. Caesaris . . . habebit* si recte tradita sunt, magistratus a colonis ita electi sunt, ut deinde a Caesare confirmarentur; quod quo iure fieri potuerit, nescio, neque ad confirmationem perpetuam stabiliendam satis fuit unius dictatoris C. Caesaris nomen poni. Magistratus, qui primi essent post coloniam deductam, non colonorum suffragiis creatos esse, sed a conditore factos consentaneum est intellegiturque fortasse id ipsum, quamquam tum scribendum est *iussuve*. Magistratus coloniae

Ad petitionem honorum quae pertinent c. CXXXII de largitionibus petitionis causa non faciendis (8, 25. 28), item de conviviis publicis tempore petendi prohibendis aperte in hanc legem translata sunt ex legibus publicis populi Romani de ambitu, quo praeterea probabile est spectare legem de loco ludis non dando nisi ex decurionum decreto (v. p. 220). Tempus petendi est biennium, *quo quis petat petiturusve est,* ut ait lex Tullia de ambitu[1] itemque haec lex 8, 17, quamquam paullo post v. 23 de eo tantum anno agitur, quo quis magistratum petat. Illo loco annus petitionis futurae distinguitur ab anno petitionis ipsius. — Convivia publica ita prohibita esse, ut candidato per id tempus liceret in singulos dies homines dumtaxat novenos ad cenam vocare, qui numerus iustus est convivii privati[2], adhuc ignorabamus; cautum autem ita esse videtur post Ciceronem consulem, nam cum is Murenam defendit, publica quidem convivia prohibita erant, sed licitorum convivarum certus numerus nondum definitus[3]. Lex de ambitu 140

1) p. 221 adn. 1. Cf. *Staatsrecht* I³, 478.

2) V. 19 sp.: *Ne . . convivium habeto . . . praeter quod ipse kandidatus petitor . . . vocarit dum taxat in dies singulos h(ominum) VIIII.* Non recte de hora VIIII cogitavit Berlanga. Marquardt *Privatalterth.* 1², 302: *der Umstand, daß der (Speise-)Tisch ebenso wie das Eßzimmer triclinium heißt, läßt erkennen, daß auch das Zimmer ursprünglich nur für neun Gäste berechnet und diese Zahl als normal betrachtet wurde.*

3) Nam senatus consultum id de quo dixi enarrans Cicero ait pro Mur. 35, 73: *num (senatus crimen putat) locum ad spectandum dare aut ad prandium invitare? minime, sed 'vulgo'. Quid est vulgo? universos.*

Duoviri

Magistratus in colonia creabantur duoviri et aediles; quaestores nulli inveniuntur fuitque colonia inter eas res publicas, ubi quaestura inter honores non habebatur, sed munus personale erat[1]. — Duo viri (nam sic nude nominantur semper) quaenam iura habuerint, partim ex iis intellegitur, quae diximus de decretis decurionum; nullum enim fieri potuit nisi referente duumviro, quique ex decurionum decreto fiebant magistri fanorum et legati, ii iubente ordine electi sunt a duoviris. Ius quoque duoviro fuisse praefecti relinquendi infra (p. 236) videbimus, ut supra (p. 214) vidimus ius ei fuisse armatis quem vellet praeficiendi. Etiam vectigalium et ultro tributorum locationem conductionem ut Romae ad censorem, ita in hac colonia ad duoviros pertinuisse inde colligitur, quod hi de loco publico a redemptore mancipe praede donum accipere vetantur (p. 228). Praeterea si cuius decurionis sacerdotisve nomen de tabulis publicis eximendum est, eximunt id duoviri (1, 5). — At omnium maxime duovirum potestas continetur imperio militiae, domi autem iudicio, quorum ne illud quidem duoviris plane defuisse lex primum haec aperuit (v. p. 214). Sed de eo cum supra actum sit, hoc loco restant iudicia de quibus videamus.

Iudicium recuperatorium rei publicae

Iudiciorum duo genera ex hac lege a duoviro exercentur privata et publica. — Privata quaecumque inveniuntur spectant ad multas coloniae commissas recuperatorio iudicio exigendas; nam quamquam recuperatorium esse iudicium non adicitur nisi in tabula tertia locis omnino interpolatis (vide p. 209) 6, 27. 46. 7, 29. 37. 50. 8, 13. 32, de ipsa re interpolatorem recte referre dubitari non potest, nec magis dubium est similibus iudiciis exactas esse eiusdem generis multas quae commemorantur genere iudicii non definito (1, 17. 25. 3, 21. 5, 19). Ad eas causas item pertinent quae c. XCV 1, 32—3, 2 de reciperatorio iudicio in universum caventur. Nam quamquam in fine legitur *quasi si neque iudices delecti* (in tabula est *relecti*) *neque reciperatores in eam rem dati essent,* quae praecedunt omnia ad solos
141 recuperatores respiciunt, neque apparet *iudices* illi quo pertineant, ut non inepte hic quoque de interpolatione cogitari possit; certe quod expectamus hoc est: *quasi si reciperatores in eam rem dati non essent.* Ad rei privatae iudicia recuperatoria quominus item trahamus quae c. XCV leguntur, obstat cum quod ibi ubi agitur de magistratu petente excusando adicitur eum *ex re coloniae* petere, tum maxime (nam hoc additamento significatur quidem iudicium de re publica susceptum, sed non excluditur magistratum privatumve etiam de

1) Dig. 50, 4, 18, 2. Marquardt *Staatsverw.* I², 167.

sua re similiter litem contestari potuisse) testium ratio, quam infra videbimus a privatis iudiciis alienam esse. Denique non sine causa huic capiti subiungitur XCVI, quo duovir iubetur, si cui decurioni de pecunia publica multisve poenisve locove publico quaestio iudiciumve instituendum esse videatur, de ea re primo quoque die ad decuriones referre. — Magistratus, apud quem ita agitur, duovir est praefectusve coloniae, ut est et c. XCV 1, 33 et in locis supra propositis interpolatis, nisi quod in uno eorum 7, 50 accedit interrex. Similiter in lege Caesaris agraria sive Mamilia c. LV de iudicio sestertium V milium in publicum coloniae municipiive propter terminum eiectum inferendorum cautum est sic. *de ea re curatoris qui hac lege erit* (intelleguntur IIIviri coloniae deducendae similesque magistratus) *iuris dictio reciperatorumque datio addictio esto. cum curator hac lege non erit, tum quicumque magistratus in ea colonia municipio praefectura foro conciliabulo iure dicundo praeerit, eius magistratus de ea re iuris dictio iudicisque datio addictio esto.* Iudicem quod dare iubetur magistratus, eo non excluduntur recuperatores, sed generali vocabulo lex hoc loco utitur legum de singulis coloniis postea dandorum iudiciorum ordinationes omnes simul complectens. — Recuperatores ita dantur, ut certo die iudicare iubeantur, eo die si non iudicarint, qui dedit alium diem iis praefiniat, tota tamen causa omnino intra vicesimum diem terminetur. Quae nova sunt omnia: adhuc enim hoc tantum constabat iudicium privatum per recuperatores celerius perfectum esse quam per unum iudicem[1]. Recuperatorum sortitio et reiectio commemorantur 2, 27, accuratius autem non definiuntur. — Ipsa actio sive *quaestio* (nam quaerendi vocabulo lex de eo iudicio utitur 2, 6. 36. 3, 6) popularis est; petit enim, ut perpetuo in multis adicitur, *qui volet.* Sed lex in ordinandi iudicio distinguit, *si duovir praefectus petet* et *si privatus petet;* quorum illud plerumque factum esse probabile est et propter causam multandi (nam agitur ubivis de delicto publico poenaque in publicum redigenda) et propterea, quod olim apud Romanos solis magistratibus eius generis poenarum petendarum ius fuisse videtur[2]; denique quod 1, 34 IIvir praefectusve et recuperatores et eum cuius res agitur adesse iubet actore omisso, facile explicatur, si quidem ipse magistratus actoris partes sustinuit. Sane per se mirum est IIvirum 142

1) Cicero pro Tull. 10: *reciperatores dare, ut quam primum res iudicaretur.* Divin. in Caecil. 17, 56. Plinius ep. 3, 20, 9. Liv. 26, 48. Gai. 4, 185. In lege agraria v. 37 magistratus decimo die recuperatores dare iubetur, postquam ad eum in ius aditum erit.

2) *Staatsrecht* I³, 183.

simul et praetoris et petitoris officio fungi; sed ita in lege cautum est, excusaturque ea iudicii constitutio quodammodo eo, quod cum magistratus qui petit, quo tempore de ea re iudicium fieri oportet, sine iusta causa non adest, eo absente iudicium nihilominus perficitur[1]: satis enim inde intellegitur IIvirum nomine magis quam re actoris partibus functum esse. Nam privatus si similiter abest, non solum iudicium solvitur, sed etiam actor ab hoc genere iudiciorum in perpetuum arcetur.

Excusationes actoris

Excusationes absentis petitoris enumerantur septem: 1) morbus sonticus, 2) vadimonium, 3) iudicium, 4) sacrificium, 5) funus familiare, 6) feriae denicales, 7) magistratus potestasve populi Romani. Harum causarum sex primae videntur proficisci ex ipsis XII tabulis, ubi sic perscriptum fuit in secundae tabulae secunda lege: *morbus sonticus aut status dies cum hoste . . . quid*[*quid*] *horum fuit unum iudici arbitrove reove eo die,* [*dies*] *diffisus esto*[2]. Indidem dudum intellectum est pendere causas, propter quas militi facto ad diem non adesse recte licebat, sic relatas apud Gellium [16,4,4]: *funus familiare, feriaeve denicales quae non eius rei causa in eum diem conlatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostesve, status condictusve dies cum hoste.* Ad singula quod attinet, de morbo sontico exploratum est. Vadimonium coniunctum est cum eo qui in XII tabulis et iuramento militari ponitur *stato die cum hoste*; nam status dies cum hoste, si quid video, ipsum est vadimonium factum cum peregrino. Iudicium a iuramento abest sine dubio propterea quod eo nomine miles apud iudicem excusatur, non excusatur apud ducem. Sacrificium, funus familiare, feriae denicales redeunt in iurisiurandi formula. Septima autem excusatio propria est iudicio municipali, ut scilicet quicumque propter magistratum publicum populi Romani id obire nequit, perinde excusetur. — Denique non omittendum est

1) Nam supplementum quod adscripsi ad 2, 21, argumento a contrario omnino requiritur. IIviro absente ex iusta causa cum res integra in aliam diem reservetur, ubi abest ex causa non iusta, res absente eo peracta sit necesse est. Causa enim cadere eum non est probabile; nam hoc posito nihil interesset inter magistratum privatumque, quos tamen lex accurate distinguit. Denique iure communi cum iudicio constituto petitor abest, is autem quocum agitur adest, iudicium perficitur (Dig. 40, 12, 27, 1. 42, 2, 6, 3. 49, 1, 28 pr. Keller *Civilprozess* § 69 n. 826).

2) Schoell XII tabb. p. 120. Reiecta Cuiacii emendatione *vitium* pro eo quod est *unum* omnino perversa (nam excusatio non est vitium) *quid* geminavi et admisi *unumquidquid* vocabulum Lucretianum. Praeterea addidi *dies.*

de his petitoris excusationibus, certe ubi petitor privatus est, non recuperatores cognoscere, sed magistratum, apud quem ea res agitur (2, 30).

Testium denuntiatio 143

Duo genera, Quintilianus[1] ait, *sunt testium, aut voluntariorum aut eorum, quibus in iudiciis publicis lege denuntiari solet; quorum altero pars utraque utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est.* Iudiciis publicis item comprehendi popularia multarum in publicum redigendarum et aliunde intellegitur et, quod ad hanc legem proxime pertinet, ex c. LV legis Iuliae agrariae post verba supra relata ita pergentis: *inque eam rem is qui hac lege iudicium dederit testibus publice dum taxat in res singulas hominibus*[2] *X denuntiandi potestatem facito ita ut e re publica fideque sua videbitur.* Ad haec vulgo nota et satis testata nova quaedam ex lege coloniae Genetivae accedunt. Apparet ei magistratui qui iudicium dedit ius non fuisse testimonii denuntiandi nisi in quos sibi imperium esset; similiter in causa Verrina testibus Siculis testimonium denuntiat non praetor is qui repetundarum iudicium exercet, sed is qui praeest provinciae Siciliae[3]. Testium qui coacti testimonium dicant in iudiciis recuperatoriis cum decem numerum finiat tam lex Iulia modo citata quam edicti perpetui formula[4], in hac lege numerus invenitur duplicatus. Praeter testes, quibus ante quam iudicium fit denuntiatum est, iam intellegimus etiam si qui dum iudicium fit ab horum aliquo in testimonio dicendo nominati essent, eos ad testimonium perhibendum cogi potuisse, modo ne numerus viginti excederetur. — Personae exceptae huius legis eaedem fere sunt atque quae excipiuntur lege Iulia iudiciorum publicorum. *Lege Iulia,* Paulus[5] ait, *iudiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testi-*

1) inst. 5, 7, 9.

2) In libris est $\overline{\text{SS}}$ pro $\overline{\text{H}}$.

3) Cicero Verr. 2, 27, 65: *quibus ego testimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello ..... adhuc non venerunt.* In iudicio publico populi Romani per magistratus cuiuscumque ordinis testimonium denuntiari potuisse (l. repet. v. 31) consentaneum est.

4) Probus de notis p. 274 ed. meae [Grammat. Latin. ed. Keil tom. IV; cf. Coll. libror. iuris anteiustiniani II p. 145]: *quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo testibusque publice dum taxat decem denuntiandi potestatem faciam.* Edictum Augusti de aquae ductu Venafrano (C. I. L. X 4842 = Bruns' Fontes[6] p. 238 n. 73 = Dessau 5743): *qui inter cives et peregrinos ius dicet iudicium reciperatorium in singulas res HS* $\overline{\text{X}}$ *reddere testibusque dum taxat X denuntiand[o q]uaeri placet, dum reciperatorum reiectio inter eum qui aget et eum quocum agetur ita fia[t, ut lege Iulia] quae de iudicis privatis lata est licebit oportebit.*

5) Dig. 22, 5, 4. Post *libertos* sequuntur verba insiticia *neque liberti adversus patronum.*

monium litis dicat adversus socerum generum, vitricum privignum, sobrinum sobrinam, sobrino [*sobrina*] *natum eosve qui priore* [immo *propiore*] *gradu sint, item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentium, viri uxoris, item patroni patronae: et ut ne patroni patronae adversus libertos cogantur testimonium dicere.* Sed plenius et prudentius de his in lege publica cautum est quam in colonica. Cognati cum et in lege Iulia iudiciorum publicorum et in aliis omnibus definiantur aut sexto gradu sobrinorum aut septimo sobrino natorum[1], quod hic liberatur qui reo consobrinus sit propiusve eum ea cognatione contingat, id est cognati ad quartum gradum usque, inauditum est et fortasse contra ius receptum ab eo qui legem conscripsit temere positum.

144 Affinium cum liberentur gener socer, vitricus privignus, iure quaeres, quinam sint qui reum propius ea affinitate contingant; et quamquam responderi potest intellegi virum uxorem, sponsum sponsam[2], haud scio an hoc quoque incuriae magis quam prudentiae scriptoris debeatur. De patrono liberto omnino constat neque patronum in libertum nec libertum in patronum in ullo iudicio publico invitum testimonium dixisse; praeterea in quibusdam iudiciis, ut in eo quod fit ex lege Iulia de vi[3], libertus testimonium in patronum dicere non solum non cogitur, sed etiam vetatur.

Accusatio De accusatione quae apud duovirum fiat agitur legis c. CII 4, 23—5, 1. Causa accusandi hic non ponitur, at de indignitate decurionis duovir iubetur ius dicere iudiciaque reddere; significari accusationem intellegitur ex c. CXXIII. CXXIIII, quae ad ipsum iudicium de indignitate pertinere supra (p. 223) demonstravimus. Sola haec accusatio utrum c. CII intellegatur an aliter quoque apud duovirum accusatio institui potuerit, ex legis reliquiis non perspicitur. — Accusationem facile apparet quaestionum perpetuarum formam sequi. Duovir *iudicium reddit* (5, 22. 24), *hac lege quaerit* (4, 23. 25), *iudicium exercet* (4, 23. 26), praetorisque eum in repetundarum similibusque iudiciis, id est quaesitoris officio fungi ex c. CII perspicitur. Actoris partes qui sustinet *postulat* (5, 22), *accusat* (4, 27. 28. 29. 34) distinguunturque accusatorum *delator* (4, 27) et *subscriptor* (4, 28). *Singulae actiones* iudicii (4, 34. 36) ostendunt ampliationi comperendinationive in eo locum fuisse. Quamquam fuerunt etiam quaedam iudicia ex hac lege uno die perficienda (1, 34); quocum comparari potest, quod lege Pompeia eodem die, quo dicturi essent accusator

1) Composuit locos Klenzius in eph. Savigniana iuris historici 6, 99.

2) Nam hi quoque inter affines numerantur et in lege Cincia (Vat. fr. 302) et alibi. Klenze l. c. p. 109.

3) Collatio 9, 2, 2 = Dig. 22, 5, 3, 5.

et patronus, iudices iudicare iubebantur[1]. Iudicant *iudices* (6, 1) caveturque de reo absolvendo 6, 2 sic: *qui ita absolutus erit, quod iudicium praevaricationis causa factum non sit, is eo iudicio hac lege absolutus esto,* quae formula propria iudiciorum publicorum totidem fere verbis redit in lege repetundarum v. 55. Denique praemium accusatori datur tale, qualia dari solent in eius generis causis publicis (p. 223). Sed novum in iis quae de accusatione supersunt non est nisi quod c. CII cavetur de tempore iudicii perficiendi. Horae accusandi
Scilicet exceptis causis iis, quas uno die perfici lex iubet, duovir iudicium exercere vetatur ante horam primam et post undecimam. Quod ambiguum est utrum accipiendum sit de prima coepta et undecima expleta an de prima expleta et undecima coepta; conferri potest quod apud Paulum[2] testamenta iubentur recitari *inter horam* 145
secundam et decimam diei. — Deinde quod lex delatori quattuor horas dat, subscriptoribus singulis binas, reo patronisque eius alterum tantum temporis, quantum accusationi, id nihil impedit, quominus a iudiciis publicis quae eo tempore in urbe fierent translatum esse putemus; certe in causa Miloniana quod accusationi duae horae datae sunt, defensioni tres[3], non quattuor, tantum abest, ut ad exemplum trahi possit, ut probabile sit iniquitatem legis adversus defensorem in ea quoque re cerni, quod ex quattuor horis legitimis unam ei auferret. Ipsum horarum numerum legitimum nec satis compertum aliunde habemus[4] nec probabile est aequabiliter in omnibus iudiciis de eo cautum fuisse. Accusatorum autem alium alii partem temporis sibi dati concedere potuisse etiam Cicero significat[5].

Aediles in lege cum ita nominantur, ut pariter atque IIviri Aediles
creari (5, 29) iubeantur pariterque decurionibus obtemperare (7, 32), tum propria eorum officia commemorantur iuris dictio (1, 29) et

---

1) Asconius in Milon. p. 40.

2) s. r. 4, 6, 2. In causa Miloniana priore die iudicium dimissum est circa horam decimam, posteriore sortitio iudicum a primo die facta est, accusatores coeperunt dicere intra horam secundam (Ascon. p. 41. 42). Cf. Keller *Civilprozess* p. 16. Marquardt *Privatleben d. Roem.* I[2], 255.

3) Ascon. in Milon. p. 37. 40. 42. Cicero de fin. 4, 1, 1. Brut. 94, 324. Dio 40, 52, 2.

4) In repetundarum iudicio, quod de L. Flacco factum est, subscriptori accusationis sex horas lex dabat (adn. 5).

5) Cicero pro Flacco 33, 82: *cui sex horas omnino lex dedit, quantum tandem ex his horis detraheret, si tibi morem gerere voluisset?* Postulavit igitur delator Laelius a subscriptore Deciano, ut parte temporis sibi cederet, quod cum non obtineret, de perfidia Deciani questus est.

munitionum indictio (3, 29), quarum illa nota est, haec aut ignota aut certe parum testata[1]. Videtur tamen eiusmodi cura, postquam locupletem auctorem nacta est, recte referri ad ipsam urbem. Nam munium quotidianorum primarium curam viarum urbis muniendarum verrendarum reficiendarum nemo ignorat proprie spectasse ad aediles; quapropter quo tempore viae similiaque non per redemptores muniebantur, sed sola civium opera a magistratibus indicta, indictio aedilium fuerit necesse est. — Sed ut haec recte conveniunt iis quae de aedilibus praeterea tradita habemus, ita mirum est in decurionum decretis faciendis de rebus sacris (7, 12), de senatore populi Romani patrono hospiteve creando (7, 39. 52), de pecunia publica decernenda (8, 39) duoviris perpetuo aequiparari aediles, cum aedili ius referendi non fuisse et rei publicae Romanae comparatio ostendat et quod in tot decretis municipalibus nullum extat ab eiusmodi magistratu factum[2]. Accedit, quod de patrono creando cum bis agatur in hisce tabulis, altero loco (3, 13) de ea re refert IIvir quique pro potestate est, id est IIvir praefectusve, altero (7, 39) IIvir aedilis praefectus.
146 Quam ob rem cum universi loci, de quibus hic agitur, in tabulam tertiam incidant pessime interpolatam, haud scio an aedilis quoque male eis intrusus sit. Quod cavetur 6, 29 de IIviro aedili praefecto ludos scaenicos faciente, quamquam per se minime suspectum, ex societate et ipsum dubium fit, cum in tabula tertia ubicumque magistratus nominantur, tria illa vocabula composita inveniantur.

Praefectus pro IIviro

Praefectus passim subiungitur duumviro (1, 20. 28. 33. 2, 20. 30. 3, 3. 5, 2. 6, 27. 29. 46. 7, 12. 30. 32. 37. 39. 50. 52. 8, 13. 32. 39), cuius vices facit perpetuo more solito. Uno loco 3, 7 (cf. 5, 2) pro eo quod est antea *IIvir praefectusve* scribitur *IIvir quive iure dicundo praerit,* similiterque accipiendum est quod legitur 3, 13: *ne quis IIvir neve quis pro potestate in ea colonia.* Bis (1, 20. 28) additur praefectum intellegi eum quem IIvir e lege huius coloniae reliquerit, videturque etiam alibi perpetuo significari praefectus IIviri absentis aliterve impediti. Praefectum autem interregis loco haec lex nullum

1) A Marquardtio *Staatsverw.* 1, 491 [nunc emendate I², 166, 7] aliisque qui affertur locus Papiniani Dig. 43, 10, 1, is ad curatorem municipii pertinet, non ad aedilem; nam aedilis *ἀγορανόμος* est, non *ἀστυνόμος*. Nec magis huc pertinent tituli ibi citati Orellianus 3973 [C. I. L. V 4097] et I. N. 1481 [C. I. L. IX 1644]; nam cum aediles in illo in viam certam summam dedisse dicantur, in hoc viam lacusque fecisse, ibi diserte additur id eos fecisse *ob honorem*, hic vero probabiliter idem intellegitur. At quae ob honorem fiunt, non fiunt pro potestate. Nec magis utiles sunt tituli similes alii, ut C. I. L. I n. 604 [X 219 = Dessau 5330]. 1490 [XII 4190].

2) Vide comm. meum ad leges Flavias p. 444.

novit. — Is qui armatis a IIviro praeficitur (5, 6) diversus sit a praefecto qui proprie ita dicitur necesse est. Praefectum IIviri cum praefectum relinquere posse lex Salpensana c. 25 neget, haec lex item praefecti armatis deligendi ius soli duoviro concedere videtur, id quod rationem habere periti non ignorant[1].

Interrex semel 7, 50 interponitur inter IIvirum praefectumque; quod recte convenit cum iis quae modo diximus de praefecto relicto, nec propterea quod haec verba non Caesaris sunt, sed interpolatoris (v. p. 209), in dubitationem vocandum est. Alibi quoque extra urbem, licet raro, interreges inveniri notum est[2].

Patroni hospitesque coloniae

De patronatu hospitioque bis in lege agitur. Cavet ea primum in universum c. XCVII, ut ne praeter certas personas exceptas patronus quis fiat nisi de decurionum decreto, cum non minus L aderunt, deinde specialiter c. CXXX. CXXXI, ne quis senator populi Romani senatorisve filius patronus hospesve fiat nisi et privatus sit et in Italia agat, item decurionum in patrono tres partes, in hospite maior pars adsentiant. Poena adscribitur c. XCVII V mil., c. CXXX C mil., c. CXXXI X mil. sestertium. Capita haec cum multa habeant utilia et adhuc parum nota, omnium maxime hoc proficimus, quod inter patronatum coloniae et hospitium publicum distinguitur. Observavi ego[3] aliquando de hospitio disserens et patronatum iuris privati comparans cum patronatu coloniarum municipiorumque, hunc ex contaminatione quadam patronatus veri et hospitii originem traxisse et ita effectum esse, ut, cum vere patronus rei publicae esse non posset nisi unus origine et deinceps posteri eius, scilicet is qui civitatem in fidem recepisset, hospites autem tot fieri possent quot populus vellet, hoc etiam ad patronatum transferretur; item patronatum ab hospitio etiam ea re differre, quod ille solo consensu 147
perficiatur, hic quodammodo litteris de ea re factis vel potius tessera data[4]. Iam patronatus is quem nobis repraesentat lex Caesaris quanto propius ad primitivam formam accedat quam quem nobis repraesentarant documenta adhuc nota aetatis imperatoriae fere omnia, nemo est quin videat. Distinguitur in lege qui '*patronus est adoptaturve*' (3, 15) sive '*patronus adoptatur sumitur fit*' (7, 43) ab eo qui '*hospes adoptatur quocumve hospitium tesserave hospitalis fit*'.

1) *Staatsrecht* I³, 221. 669.

2) I. R. N. p. 479 [C. I. L. IX 1635 (= Dessau 6492). X 6101 (= Dessau 6285). 6232 (= Dessau 6279). XII 4389 (= Dessau 6966). 3138 (= Dessau 6975). *Staatsr.* I³ 647 n. 3.]

3) *Röm. Forsch.* 1, 334. 358. 371.

4) l. c. p. 341. 362.

Ille honor maior est, hic minor, cum ad patronatum decernendum duae partes decurionum requirantur, in hospitio solitus numerus sufficiat, item poena adscripta sit in illo decies tanta quanta in hoc est. Iam hac lege admoniti intellegimus Gaditanos hospitium solummodo publice fecisse tessera oblata cum cive olim suo, iam Romano L. Cornelio Balbo[1], nequaquam patronum eum sibi adoptavisse. Omnino postea demum uterque honor perpetuo necessitateque quadam coniungi coepti sunt acciditque hic quoque, ut honoribus increbrescentibus et fere pervulgatis minore nemini iam satis fieret itaque simplex hospitium quodammodo exolesceret[2]. — Praeterea notabile est in hac lege patronum adoptari, ut Cicero[3] quoque loquitur, non cooptari, quod vocabulum ab Augusti inde aetate in ea re sollemne[4] nihilominus ipsi actus proprietati parum aptum est; neque enim proprie a collegis futuris patronus futurus adsciscitur. Quamquam cooptandi vocabulum eo nomine excusari potest, quod certe posteriore tempore etiam patroni in albo decurionum perscribebantur et quodammo decurionibus adnumerabantur. — Accedunt alia item et nova et cognitu digna. Patronos adhuc credebamus nullos fieri potuisse nisi ex decurionum decreto; iam vero addiscimus colonias qui deduxissent quive colonis agros dedissent adsignavissent, ipsos liberos posterosque eorum ipso iure eius coloniae patronos fuisse[5]. Ita quod Cicero[6] scribit *qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patronos fuisse more maiorum,* similiter interpretabimur qui populum devictum in fidem receperit, non ob id beneficium patronum creari, sed eo ipso, quod in fidem eum recepit, patronum effectum esse. Et vere sic redimus ad patronatus genuina
148 primordia; nam ut in iure privato manumissio patronum facit, ita in iure publico aliquando fecit deductio vel in fidem receptio. — Aliud

1) Cicero pro Balb. 18, 41: *hospitium .... cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico: proferam tesseram.*

2) Vel gentilitates duae gentis Zoelarum eae quae a. p. Chr. 27 'hospitium vetustum antiquom' inter se renovarunt, solo eo non contenti 'ali(u)s alium in fidem clientelamque suam suorumque liberorum posterorumque receperunt' (C. I. L. II n. 2633 = Bruns Fontes [6] p. 344 = Dessau n. 6101).

3) Pro Sest. 4, 9. Phil. 2, 41, 107. 6, 5, 13. Val. Max. 9, 15, 1. *Patronum adsciscere* Cicero in Pis. 11, 25.

4) Primum invenitur quod sciam in tabula a. u. c. 742 (C. I. L. VIII 68 = Dessau 6095). In aere antiquissimo C. I. L. I. n. 532 [X 6231 = Dessau 6093] supplementum quod posui *covenumis co[ptamus]* mutandum est.

5) Ita P. Sulla coloniae a se Pompeios deductae patronus fuit (Cicero pro Sull. 21).

6) De offic. 1, 11, 35.

est adhuc ignotum, iam vero patefactum, senatorem populi Romani filiumque senatoris patronum creari non potuisse eo tempore quo imperium obtineret inve provincia esset; quod cur introductum sit, facile apparet. Similiter Augustus provincialibus interdixit, ne cui magistratui tempore magistratus intrave LX dies post eum finitum honorem haberent[1]. Patronatus tamen instrumenta quae supersunt ne melioris quidem aetatis cum ea lege satis conspirant; nam cum non desint ibi equestris ordinis patroni eo tempore creati, quo in provincia officio fungerentur[2], tres certe item repperi similiter creatos patronos ordinis senatorii, scilicet L. Domitium Ahenobarbum cum proconsul esset Africae a. u. c. 742 (v. p. 238 adn. 4), Q. Iulium Secundum cum legatus esset pro praetore Numidiae a. p. Chr. 55 (Wilmanns n. 2852 [C. I. L. VIII 8837 = Dessau 6103]), C. Marium Pudentem Cornelianum, cum legatus esset legionis a. 222 (Orelli 956 [C. I. L. VI 1454 = Dessau 6109]). Quamquam opponi potest, si praesidem patronum adoptare generaliter licuisset, longe plura eius generis instrumenta nos habitura fuisse, potestque res sic explicari legem eam, quam Ursonenses habuerunt, peraeque obtinuisse, sed non raro contra eam patronos adoptatos esse aut contemptu eius ignorantiave aut permissu imperatoris[3].

Magistratus populi Romani

Magistratibus prove magistratu populi Romani 7, 1 ius datur in decurionibus ludos spectandi; etiam quod sequitur *quive iuri dicundo praeest* supra p. 220 monui non ad coloniae magistratus pertinere videri, sed ad legatos adsessoresque proconsulum. Praeterea *magistratus potestasque populi Romani* 2, 24. 34 commemorantur inter causas, propter quas et IIviro et civi liceat ad causam a se agendam non adesse. *Senator senatorisque filius populi Romani* quibus condicionibus patroni hospites adoptari possint, modo vidimus; item p. 220 iisdem eique qui senator fuerit ius tribui ludos in decurionibus spectandi. Idem ius 7, 4 conceditur *praefecto fabrum eius magistratus prove magistratu, qui Hispaniam ulteriorem obtinebit,* de quo praefecto equestris ordinis homine vide quae dixi *Staatsrecht* I[3], 120. II[3], 98 dixeruntque quos ibi citavi. — De honoribus C. Caesari in lege attributis dictatoris imperatoris consulis proconsulis dictum est p. 206.

---

1) Eiusmodi decreta in honorem praefectorum fabrum facta extant a. 7 p. Chr. (Marini Arv. p. 783 [C. I. L. VIII 69]) et a. 27 et 28 (C. I. L. V, 4920—4922).

2) Dio 56, 25, 6.

C. LXI—LXXXII.*)

[LXI] . . . . . *Cui quis ita ma*]|-num inicere iussus erit, iudicati iure man|us iniectio esto itque ei s(ine) f(raude) s(ua) facere liceto. Vin|dex arbitratu IIviri quique i(ure) d(icundo) p(raerit) locuples | esto. Ni vindicem dabit iudicatumque faci|et, secum ducito. Iure civili vinctum habeto. | Si quis in eo vim faciet, ast eius vincitur, du|pli damnas esto colonisq(ue) eius colon(iae sestertium | XX milia) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae cui vo|let petitio, IIvir(o) quique i(ure) d(icundo) p(raerit) exactio iudicati|oque esto.

LXII IIviri quicumque erunt, ii[s] IIviri[s] in eos singulos | lictores binos, accensos sing(ulos), scribas bi|nos, viatores binos, librarium, praeconem, | haruspicem, tibicinem habere ius potestas|que esto. Quique in ea colonia aedil(es) erunt, | iis aedil(ibus) in eos aedil(es) sing(ulos) scribas sing(ulos), publi|cos cum cincto limo IIII, praeconem, haruspi|cem, tibicinem habere ius potestasq(ue) esto. Ex eo | numero, qui eius coloniae coloni erunt, habe|to. Iisque IIvir(is) aedilibusque, dum eum mag(istratum) ha|bebunt, togas praetextas, funalia, cereos ha|bere ius potestasq(ue) esto. Quos quisque eo|rum ita scribas lictores accensos viatorem | tibicinem haruspicem praeconem habebit, iis | omnibus eo anno, quo anno quisque eorum | apparebit, militiae vacatio esto, neve quis e|um eo anno, quo mag(istratibus) apparebit, invitum | militem facito neve fieri iubeto neve eum | cogito neve ius iurandum adigito neve a|digi iubeto neve sacramento rogato neve | rogari iubeto, nisi tumultus Italici Gallici|ve causa. Eisque merces in eos singul(os), qui IIvi|ris apparebunt, tanta esto:

in scribas sing(ulos) | HS ↀↃↃ
in accensos sing(ulos) HS DCC

---

*) [Ephemeris Epigraphica III, 91—112. Cf. quae supra p. 194 adnotavimus. Tabulae, quae hic eduntur, prodierunt a. 1874; adservantur sicut eae, quae a. 1870 prodierant et supra editae sunt, Matriti. De hac parte legis egerunt Exner, Zeitschr. f. Rechtsgesch. XIII (1878) p. 392—398. Giraud, les Nouveaux bronzes d'Osuna 1877. Camillo Ré, Archivio Giuridico XIX, 1877, p. 296 sq. Cf. etiam Bruns, Script. minor. II, 282—297].

9, 3 *immo* QVIVE || 4 *immo* IVDICATVMVE || 9 *immo* QVIVE || 11 IK II VIRI *aes.*

in lictores | sing(ulos) ~~HS~~ DC 9, 35 92
in viatores sing(ulos) ~~HS~~ CCCC
in libra|rios sing(ulos) ~~HS~~ CCC 36
in haruspices sing(ulos) ~~HS~~ D
prae|coni ~~HS~~ CCC 37
qui aedilib(us) appareb(unt):
in scribas | sing(ulos) ~~HS~~ DCCC 38
in haruspices sing(ulos) ~~HS~~ C
in ti||bicines sing(ulos) ~~HS~~ CCC 10, 1
in praecones sing(ulos) ~~HS~~ CCC |
Iis s(ine) f(raude) s(ua) kapere liceto. 2
IIviri, qui primi ad pr. k. Ianuar. mag(istratum) habebunt, appa- 3
LXIII ri|tores totidem habento, [quot] sing(ulis) apparitores ex h(ac) 4
l(ege) ha|bere lice[t]. Iisque apparitorib(us) merces tanta esto, | 5. 6
quantam esse oporteret, si partem IIII anni a[ppar]|uissent, ut 7
pro portione, quam diu apparuiss[e]nt, mer|cedem pro eo kape- 8
rent, itque iis s(ine) f(raude) s(ua) c(apere) l(iceto).
IIvir(i) quicumque post colon(iam) deductam erunt, ii in die|bus 9. 10
LXIIII X proxumis, quibus eum mag(istratum) gerere coeperint, at
| decuriones referunto, cum non minus duae partes | aderint, quos 11. 12
et quot dies festos esse et quae sacra | fieri publice placeat et 13
quos ea sacra facere place|at. Quot ex eis rebus decurionum 14
maior pars, qui | tum aderunt, decreverint statuerint, it ius ra- 15
tum|que esto, eaque sacra eique dies festi in ea colon(ia) | sunto. 16. 17
Quae pecunia poenae nomine ob vectiga[l]ia, quae | colon(iae) G(e- 18. 19
LXV netivae) Iul(iae) erunt, in publicum redacta erit, eam | pecuniam 20
nequis erogare neve cui dare neve attri|buere potestatem ha- 21
beto nisi at ea sacra, quae in | colon(ia) aliove quo loco co- 22
lonorum nomine fia[n]t, | neve quis aliter eam pecuniam s(ine) 23
f(raude) s(ua) kapito, n[e]ve quis | de ea pecunia ad decuriones 24
referundi neve quis | de ea pecunia sententiam dicendi ius po- 25
testat(em)|que habeto. Eamque pecuniam ad ea sacra, quae | in 26. 27
ea colon(ia) aliove quo loco colonor[um] nomine | fient, IIviri 28
s(ine) f(raude) s(ua) dato attribuito itque ei facere | ius potes- 29
tasq(ue) esto. Eique cui ea [p]ecunia dabi|tur s(ine) f(raude) 30
s(ua) kapere liceto.
Quos pontifices quosque augures G. Caesar, quive | iussu eius co- 31. 32

9, 38 *pro* ~~HS~~ · C *malim* ~~HS~~ D || **10**, 2 IIs] *malim* ITQVE · IIS || 4 QVOT *addidi* || 5 LICETO *aes* || 6. 7 ARRIP|VISSENT *aes* || 7 APPARVISSINT *aes* || 18 VECTIGAIIA *aes* || 22 FIAT *aes* || 23 NIVE *aes* || 27 COLONORINOMINE *aes* || 29 IECVNIA *aes*

LXVI lon(iam) deduxerit, fecerit ex colon(ia) Ge|net(iva), ei pontifices
cique augures c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) sunto, eiq(ue) |
pon[t]i[fi]ces auguresque in pontificum augu|rum conlegio in ea
93 colon(ia) sunto, ita uti qui | optima lege optumo iure in qua-
que colon(ia) | pontif(ices) augures sunt erunt. Iisque pontifi-
cibus | auguri[b]usque, qui in quoque eorum collegio | erunt,
liberisque eorum militiae munerisq||ue public[i] vacatio sacro sanc-
tius esto, uti pon|tifici Romano est erit, [a]e[r]aque militaria ei
omni|a merita sunto. De auspiciis quaeque ad eas res per|tine-
bunt augurum iuris dictio iudicatio esto. Eis|que pontificib(us)
auguribusque ludis, quot publice ma|gistratus facient, et cum ei
pontific(es) augures sa|cra publica c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)
facient, togas praetextas haben|di ius potestasq(ue) esto, eisque
pontificib(us) augurib(us)|q(ue) ludos gladiatoresq(ue) inter de-
curiones specta|re ius potestasque esto.

Quicumque pontif(ices) quique augures c(oloniae) G(enetivae) I(u-
LXVII liae) post h(anc) l(egem) da|tam in conlegium pontific(um) au-
gurumq(ue) in demor|tui damnative loco h(ac) l(ege) lectus
cooptatusve erit, | is pontif(ex) augurq(ue) in c(olonia) Iul(ia)
in conlegium pontifex | augurq(ue) esto, ita uti qui optuma lege
in quaque | colon(ia) pontif(ices) auguresq(ue) sunt erunt. Neve
quis | quem in conlegium pontificum kapito suble|gito cooptato
nisi tunc cum minus tribus pon|tificib(us) ex iis, qui c(oloniae)
G(enetivae) sunt, erunt. Neve quis quem | in conlegium augurum
sublegito cooptato ni|si tum cum minus tribus auguribus ex eis,
qui | colon(iae) G(enetivae) I(uliae) sunt, erunt.

$\overline{\text{II}}$viri praef(ectus)ve comitia pontific(um) augurumq(ue), quos
LXVII[I] h(ac) l(ege) | [fac]ere oportebit, ita habeto prodi[c]ito, ita uti
| $\overline{\text{II}}$vir(um) creare facere sufficere h(ac) l(ege) o(portebit).

$\overline{\text{II}}$viri qui post colon(iam) deduc[t]am primi erunt, ei in su|o ma-
LXIX g(istratu) et quicumq(ue) $\overline{\text{II}}$vir(i) in colon(ia) Iul(ia) erunt, ii
in | diebus LX proxumis, quibus eum mag(istratum) gerere
coe|perint, ad decuriones referunto, cum non minus | XX ade-
runt, uti redemptori redemptoribusque, | qui ea redempta ha-
bebunt quae ad sacra resq(ue) | divinas opus erunt, pecunia ex
lege locationis | adtribuatur solvaturq(ue). Neve quisquam rem
ali|am at decuriones referunto neve quot decuri|onum decret(um)
faciunto antequam eis redemp|toribus pecunia ex lege locationis

---

10, 34 PONII//CES *aes* || 38 AVGVRIEVSQVE *aes* || **11**, 1 PVBLICE *aes* || SANCTIVS] *immo* SANCTA || 2 EAQVE *aes* || 24 LXVII *aes* || FACERE] HABERE *aes* || ITA *ante* HABETO *del* || PRODIGITO *aes* || 26 DEDVCIAM *aes* || 27 II *del* || 30 QVE *delendum* (cf. 12, 1)

Tab. IV

attribuatur | solvaturve d(ecurionum) d(ecreto), dum ne minus 11, 37
XXX atsint, cum | e(a) r(es) consulatur. Quot ita decreverint, 38
ei IIvir(i) || redemptori redemptoribus attribuendum | solven- V 12, 1. 2
dumque curato, dum ne ex ea pecunia | solvant adtribuant, 3
quam pecuniam ex h(ac) l(ege) | [ad e]a sacra, quae in colo- 4
n(ia) aliove quo loco pu|blice fiant, dari adtribui oportebit. 5

IIviri quicu[m]que erunt ei praeter eos, qui primi | post h(anc) 6. 7 94
[L]XX l(egem) [fa]cti erunt, ei in suo mag(istratu) munus lu|dosve 8
scaenicos Iovi Iunoni Minervae deis | deabusq(ue) quadriduom 9
m(aiore) p(arte) diei, quot eius fie|ri [poter]it, arbitratu decurio- 10
num faciun|to inque eis ludis eoque munere unusquis|que eorum 11. 12
de sua pecunia ne minus (sestertium bina milia) | consumito 13
et ex pecunia publica in sing(ulos) | IIvir(os) d(um) t(axat) 14
(sestertium bina milia) sumere consumere liceto, it|que eis s(ine) 15
f(raude) s(ua) facere liceto, dum ne quis ex ea | pecun(ia) sumat 16
neve adtributionem faciat, | quam pecuniam h(ac) l(ege) ad ea 17
sacra, quae in co|lon(ia) aliove quo loco publicae fient, dari 18
| adtribui oportebit. 19

Aediles quicumq(ue) erunt in suo mag(istratu) munus lu|dos scae- 20. 21
LXXI nicos Iovi Iunoni Minervae tri|duom maiore parte diei, quot 22
eius fieri pote|rit, et unum diem in circo aut in foro Veneri | 23. 24
faciunto, inque eis ludis eoque munere unus|quisque eorum de 25
sua pecunia ne minus (sestertium bina milia) | consumito deve 26
publico in sing(ulos) aedil(es) (sestertium singula milia) | sumere 27
liceto, eamq(ue) pecuniam IIvir praef(ectusve) | dandam adtri- 28
buendam curanto itque iis | s(ine) f(raude) s(ua) c(apere) liceto. 29

Quotcumque pecuniae stipis nomine in aedis | sacras datum inla- 30. 31
LXXII tum erit, quot eius pecuni|ae eis sacr[i]s superfuerit, quae sacra, 32
uti h(ac) l(ege) d(ata) | oportebit, ei deo deaeve, cuius ea aedes 33
erit, fac|ta [fuerint], ne quis facito neve curato neve interce|dito, 34. 35
quo minus in ea aede consumatur, ad | quam aedem ea pecunia 36
stipis nomine da|ta conlata erit, neve quis eam pecuniam alio | 37. 38
consumito neve quis facito, quo magis in || alia re consumatur. 13, 1

Ne quis intra fines oppidi colon(iae)ve, qua aratro | circumductum 2. 3
LXXIII erit, hominem mortuom | inferto neve ibi humato neve urito neve 4
homi|nis mortui monimentum aedificato. Si quis | adversus ea 5. 6
fecerit, is c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) (sestertium
V milia) d(are) d(amnas) esto | eiusque pecuniae cui volet pe- 7

12, 7 EI *del.* || 10 POTERIT] OPORTEBIT *aes* (cf. v. 22) || 32 SACRIIS *aes* || 34 FVERINT] IT *aes*

titio persecu|tio exactioq(ue) esto. Itque quot inaedificatum | erit IIvir aedil(is)ve dimoliendum curanto. Si | adversus ea mortuus inlatus positusve erit, | expianto uti oportebit.

Ne quis ustrinam novam, ubi homo mortuus | combustus non erit,
LXXIV pro[p]ius oppidum pas|sus D facito. Qui adversus ea fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) | c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae cui volet peti|tio persecutioq(ue) ex h(ac) l(ege) esto.

95 Ne quis in oppido colon(iae) Iul(iae) aedificium detegito | neve
LXXV demolito neve disturbato, nisi si praedes | IIvir(um) arbitratu dederit se re[d]aedificaturum, aut | nisi decuriones decreverint, dum ne minus L ad|sint, cum e(a) r(es) consulatur. Si quis adversus ea fece[rit], | q(anti) e(a) r(es) e(rit), t(antam) p(ecuniam) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are) d(amnas) e(sto), eiusq(ue) pecuniae qui volet pe|titio persecutioq(ue) ex h(ac) l(ege) esto.

Figlinas teglarias maior[e]s tegularum CCC tegu|lariumq(ue) in
LXXVI oppido colon(iae) Iul(iae) ne quis habeto. Qui | habuerit, i[t] aedificium isque locus publicus | colon(iae) Iul(iae) esto, eiusq(ue) aedificii quicumque in c(olonia) | G(enetiva) Iul(ia) i(ure) d(icundo) p(raerit), s(ine) d(olo) m(alo) eam pecuniam in publicum redi[g]ito.

Si quis vias fossas cloacas IIvir aedil(is)ve publice | facere inmit-
LXXVII tere commutare aedificare mu|nire intra eos fines, qui colon(iae) Iul(iae) erunt, volet, | quot eius sine iniuria privatorum fiet, it is face|re liceto.

Quae viae publicae itinerave publica sunt fuerunt | intra eos fines,
LXXIIX qui colon(iae) dati erunt, quicumq(ue) | limites quaeque viae quaeque itinera per eos a|gros sunt erunt fueruntve, eae viae eique limites | eaque itinera publica sunto.

Qui fluvi rivi fontes lacus aquae stagna paludes | sunt in agro,
LXXIX qui colon(is) h[u]iusc(e?) colon(iae) divisus ‖ erit, ad eos rivos fontes lacus aquasque sta|gna paludes itus actus aquae haustus iis item | esto, qui eum agrum habebunt possidebunt, uti | iis

---

13, 13 PROPRIVS *aes* ‖ 19 RERAEDIFICATVRVM *aes*: *magis fuit* reaed- (*vel* redaed-, *quod praefert Huebner, cf. Woelfflin Archiv-Lexicogr. IX, 521*) *quam* peraed- ‖ 22 FECE (*om* RIT) *aes* ‖ 24 MAIORIS *aes* ‖ 26 ITA · AEDIFICIVM *aes* ‖ 27 *post* AEDIFICII *quaedam videntur excidisse*; *vide p.* 112 ‖ 28 REDICITO *aes* ‖ 29 QVIS *aes* · quas *Scialoja monum. dei Lincei 6, 425. cf. lex Tarent. v. 39 seq.* ‖ 35—37 *fortasse scribendum* QVIQVE LIMITES PER EOS AGROS SVNT ERVNT (*deletis vocabulis* CVM *et* QVAEQVE VIAE QVAEQVE ITINERA *et* FVERVNTVE): *cf. p.* 257 ‖ 40 H/IVS · C · COLON *aes; vix licebit solvere* qui colon(iae) huius (colonis) colon(iae) ‖ **14**, 1 QVE *del*

Tab. V

fuit, qui eum agrum habuerunt possederunt. | Itemque iis, qui 14, 5
eum agrum habent possident ha|bebunt possidebunt, itineris 6
aquarum lex ius|que esto. 7

Quot cuique negotii publice in colon(ia) de decur(ionum) sen|tentia 8. 9
LXXX datum erit, is cui negotium datum erit e|ius rei rationem decu- 10
rionib(us) reddito referto|que in dieb(us) CL proxumis [quibus] 11
it negotium confecerit | quibusve it negotium gerere desierit, 12
quot eius | fieri poterit s(ine) d(olo) m(alo). 13

Quicumque IIvir(i) aed(iles)ve colon(iae) Iul(iae) erunt, ii scribis 14
LXXXI | suis, qui pecuniam publicam colonorumque | rationes scriptu- 15. 16
rus erit, antequam tabulas | publicas scribet tractetve, in con- 17 96
tione palam | luci nundinis in forum ius iurandum adigi|to per 18. 19
Iovem deosque Penates 'sese pecuniam pu|blicam eius colon(iae) 20
'concustoditurum rationes|que veras habiturum esse, u(ti) q(uod) 21
'r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo), ne|que se 22
'fraudem per litteras facturum esse sc(ientem) d(olo) m(alo)'. 23
Uti quisque scriba ita iuraverit, in tabulas | publicas referatur 24
facito. Qui ita non iurave|rit, is tabulas publicas ne scribito 25
neve aes | apparitorium mercedemque ob e(am) r(em) kapito. | 26. 27
Qui ius iurandum non adegerit, ei (sestertium V milium) mul|t[a] 28
esto, eiusq(ue) pecuniae cui volet petitio per|secutio(que) ex 29
h(ac) l(ege) esto.

Qui agri quaeque silvae quaeq(ue) aedificia c(olonis) c(oloniae) 30
LXXXII G(enetivae) I(uliae), | quibus publice utantur, data adtributa 31
e|runt, ne quis eos agros neve eas silvas ven|dito neve locato 32. 33
longius quam in quinquen|nium, neve ad decuriones referto, neve 34
decu|rionum consultum facito, quo ei agri eaeve | silvae veneant 35. 36
aliterve locentur. Neve, si ve|nierint, itcirco minus c(oloniae) 37
G(enetivae) Iul(iae) sunto. Quique iis | rebus fruc[t]us erit, 38
quot se emisse dicat, is in | iuga sing(ula) inque annos sing(u- 39
los sestertios) C c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are)
d(amnas) || [*esto, eiusque pecuniae cui volet petitio persecutioque ex hac lege esto.*

14, 11 QVIBVS *om. aes* || 28 MVLTAE *aes* || 38 FRVCLVS *aes.*

COMMENTARIVM.

97 Commentarium ita institui, ut quae ex his tabulis ex ordine inventionis quarta quintaque accedunt, adiungam quodammodo ad interpretationem quam supra p. 206—239 dedi tabularum trium antea prolatarum, ut quatenus fieri potest, eundem ordinem eandemque rationem hic quoque sequar.

Lex quo tempore lata sit

Quod ibi monui p. 206. 207 quaedam reperiri in lege, quae scribi non potuerint nisi Caesare vivo, id in tabulas quae accedunt etiam magis cadit; ita legitur c. 66 in.: *quos pontifices quosque augures G. Caesar quive iussu eius coloniam deduxerit fecerit.* Erunt fortasse qui propterea contendent legem scriptam esse oportere ante idus Martias a. 710, legemque Antoniam memoratam 5, 12 latam esse non post obitum dictatoris, sed iussu eius a collega consule. Neque nego id ita fieri potuisse; magis tamen crediderim, cum praesertim per universam legem colonia dicatur modo deducenda, modo deducta, cerni hic perturbatis illis temporibus propriam confusionem actorum dictatoris defuncti consulisque superstitis.

Interpolationes

Interpolatio quatenus in has tabulas grassata sit, inde intellegetur, quod formula, de qua dixi p. 208, cum plerumque in his ita reperiatur, ut proferri solet in prima et secunda tabula: *eiusque pecuniae cui volet petitio persecutioque esto* (13, 15. 22. 28), uno loco (13, 22) adeo remansit pristinum *qui volet* praeterea in universa lege male mutatum in *cui.* Quod solet addi in tabula tertia *recuperatorio iudicio apud IIvirum praefectumve,* in his nusquam legitur; uno tamen loco 9, 8 quod scribitur: *eiusque pecuniae cui volet petitio, IIviro quique iure dicundo praeerit exactio iudicatioque esto,* re eodem redit. Altero autem (13,7) quod ei qui volet datur *petitio persecutio exactioque,* plane perturbatum est; nam exactio in iudicio populari ad magistratum pertinet. Omnino igitur hae quoque tabulae quamquam non subierunt interpolationem talem, qualem tertia perpessa est, et ipsae pariter fere atque prima secundaque passim corruptae sunt et in minoribus etiam interpolatae.

Orthographica

De orthographicis non colligam quae iam accedunt exempla ad ea quae composui p. 209—211. Addi potest reperiri *quadriduom* 12, 9, quod solum probandum esse viri periti non ignorant; item *conlegium* quinquies scribi 10, 35. 11, 12. 14. 17. 20, semel *collegium* 10, 38,

quarum formarum in Ephemeridis Epigraphicae vol. I p. 79 demonstravi illam Caesaris aetate obtinuisse, hanc sub imperatoribus, quo demum tempore lex in aere incisa est. Soloecismos nullos offendi praeter alterum *aderint* 10, 12 et *publicae* 12, 18 pro *publice;* accedunt verborum divisiones insolitae *man|us* 9, 1|2, *q|ue* 10, 39|11, 1, *arrip|uissent* 10, 6|7.

Litterae singulares

Litterae singulares et ipsae aut aliunde satis notae sunt aut certe interpretationis facillimae, ut *c(apere) l(iceto)* 10, 8 (cf. 10, 2).

98

Locutiones quae data opera illustrandae essent, nullas repperi. Nam quod scribitur modo *scribis qui erit* 14, 14, *IIviri dato* 10, 28, modo *quisquam referunto* 11, 33, *IIvir curanto* 12, 27. 13, 4, accedit ad exempla similia multa notaque. Cum dubium reliquerint tabulae antea notae enuntiatum 1, 1 *in ea col(onia) oppido* utrum stare possit an substituendum sit *in eius coloniae oppido* (v. p. 223), hae nostrae coniecturam refellunt, cum legatur 13, 1 *intra finis oppidi colon(iae)ve, qua aratro circumductum sit.* Unde consequitur item 13, 17. 25 legendum esse *in oppido colon(ia) Iul(ia)*, non *colon(iae) Iul(iae).*[1]

Conspectus capitum

Capita cum antea recuperaverimus XCI—CVI. CXXIII—CXXXIV (v. p. 211—213), iam prodeunt LXI—LXXXII, ut novae tabulae, quae nobis sunt quarta et quinta, ordine potius prima et secunda dicendae essent. Conspectus capitum nunc repertorum qui subicitur denuo confirmat quod antea observavimus, rerum ordinem certum nullum in lege fuisse videri. Paginae adscriptae remittunt ad commentarium quod sequitur.

[LXI]	9, 1—10	De manus iniectione	p. 260
LXII	9, 11—10, 2	De magistratuum apparitoribus et insignibus, item de mercedibus apparitorum	p. 258
LXIII	10, 3—8	De magistratuum anni primi apparitoribus eorumque mercedibus	p. 259
LXIV	10, 9—17	De sacris coloniae quotannis ordinandis	p. 252
LXV	10, 18—30	Poenae propter vectigalia solutae in sacra ut erogentur	p. 257
LXVI	10, 31—11, 10	De pontificum augurumque iure et insignibus	p. 249
LXVII	11, 11—22	Pontifices auguresque quando creandi sint	p. 249
LXVIII	11, 23—25	et quo modo	p. 249

[1]) [Sed vide supra pag. 158 n. 54].

LXIX	11, 26—12, 5	Redemptoribus eorum, quae ad res divinas pertinent, ut pecunia singulis annis primo quoque die attribuatur	p. 257
LXX	12, 6—19	De ludis duoviralibus	p. 252
LXXI	12, 20—29	De ludis aediliciis	p. 252
LXXII	12, 30—13, 1	De stipe eroganda	p. 257
LXXIII	13, 2—11	Mortui in oppido ne sepeliantur	p. 262
LXXIV	13, 12—16	Ustrina nova in agro suburbano ne fiat	p. 262
LXXV	13, 17—23	Aedificia in oppido ne diruantur	p. 260. 263
LXXVI	13, 24—28	Figlinae teglariae in oppido ne fiant	p. 264
LXXVII	13, 29—33	De viis novis instituendis	p. 264
LXXVIII	13, 34—38	Viae publicae ut sint quae fuerunt	p. 256
LXXIX	13, 39—14, 7	Fluvii publici ut sint qui fuerunt	p. 256
LXXX	14, 8—13	Publici negotii ratio ut decurionibus reddatur	p. 255
LXXXI	14, 14—29	De iure iurando scribarum	p. 259
LXXXII	14, 30—39	Agri coloniae ne veneant longiusve quinquennio locentur	p. 255

---

99 Pontifices, augures

Duo sola sacerdotum collegia coloniae data esse ut antea iam perspexeramus, ita nunc diserte confirmatur legis c. 66. Quot loci in utroque collegio secundum antiquissimam populorum Latinorum ordinationem fuerint, adhuc parum constabat; iam vero ex hac lege c. 67 = 11, 16 seq. intellegitur ternos in utroque collegia sacerdotes fuisse, idque etiam cum institutis Romanis recte conciliatur. Nam ad pontifices quod attinet, senos quidem sub regibus fuisse Cicero tradit (de re p. 2, 14, 26; cf. *Staatsrecht* II^3, 21 n. 6), quo numero item pontifices creati sunt in coloniam Capuam (Cicero de l. agr. 2, 35, 96); sed eum numerum pariter atque tribunorum militum et virginum Vestalium similesque ex antiquissima duplicatione descendere eo facilius admittemus, quod scribarum pontificum sive pontificum minorum numerus postea quoque ternarius videtur fuisse (Cicero de harusp. resp. 6, 12). Similiter de auguribus statuendum est, quos ante legem Ogulniam sex fuisse satis constat (Cicero l. c.: Liv. 10, 6), cum ad eum numerum quomodo perventum sit auctores varie tradant. Decem augures quod creati sunt in Capuam coloniam (Cicero de l. agr. l. c.), sine dubio ab antiqua consuetudine recedit. Utut de singulis iudicabitur, inventa lege Genetiva vix poterit dubitari ternarium numerum a pristinis tribubus tribus deductum origine etiam in collegiis sacerdotalibus Latinorum peraeque regnavisse. — Ceterum de eo numero

ita in lege cavetur, ut qui primum collegia ordinaturi sunt eo non teneantur iisque liceat vel supra eum numerum pontifices auguresque creare; quod si factum erit, pontificum augurumque creatio hac lege ordinata tum demum incipiet, cum collegia infra ternarium numerum esse coeperint.

Creatio pontificum et augurum

Primam sacerdotum constitutionem ad eum pertinere qui coloniam deducturus sit et per se intellegitur et de Capua colonia diserte Cicero scribit (de l. agr. 2, 35, 96: *huc isti decemviri cum IↃↃ colonorum deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint*). Deinde comitiis sacerdotes creantur a duoviris pariter atque ipsi duoviri (c. 68); ut Modestinus quoque (Dig. 48, 14, 1, 1) lege Iulia ambitus ait teneri, qui in municipio contra eam legem magistratum aut sacerdotium petierit. Indicta comitia si per aliquam causam irrita fiunt, a duoviro prodicuntur. Creatio per minorem partem populi, qualis Romae obtinuit, ad colonias non videtur porrecta esse. Sacerdos per comitia creatus nihilo minus dicitur *lectus cooptatusve* (11, 13; cf. *Staatsrecht* II³, 29 n. 5). — Creatur non solum in mortui locum, sed etiam in locum damnati (11, 13), cum auguratus populi Romani non adimatur viventi (Plinius ep. 4, 8, 1; Plutarch. q. R. 99).

Pontifex augurque coloniae Genetivae ut quis fiat, nihil requiritur nisi ex ea colonia ut sit (10, 31); id quod cum legibus Romanis convenit (*Staatsrecht* II³, 32 n. 2).

Privilegia sacerdotum

Privilegia sacerdotum coloniae ea fere sunt, quae constat obtinuisse apud Romanos.

Praetexta

1. Praetextam gerunt sacerdotes non omni tempore locoque, ut magistratus, sed tum demum, cum sacra publica faciunt, item cum magistratus coloniae ludos publice faciunt (11, 5). De illo usu exposui alibi (*Staatsrecht* I³, 422); hoc ius ut nunc primum testatum habemus, ita, cum etiam magistratu functos ludis praetextam resumpsisse constet (l. c. p. 437), sacerdotes id ipsum fecisse consentaneum est. 100

Sedes in theatro

2. Ludis publicis sacerdotes publici sedent inter decuriones. Dixi de privilegio eo *Staatsrecht* I³, 406 n. 5.

Vacatio militiae

3. Militiae vacationem in perpetuum sive, ut ait lex, ut aera omnia militaria merita sint, lex sacerdotibus liberisque eorum ita dat, ut datur pontifici Romano. Qualis autem vacatio pontifici Romano fuerit, efficitur ex lege a Plutarcho (Camill. 41) allata *ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας χωρὶς ἂν μὴ Γαλατικὸς ἢ πόλεμος*, nisi quod Gallico, quem pro re auctor solum nominat, addendus est tumultus Italicus, locumque hic habet formula, qua Cicero utitur (Phil. 5, 19, 53) *vacationem militiae ipsis liberisque eorum esse placere extra tumul-*

tum Gallicum Italicumque. Idem alio loco (Phil. 8, 1, 3) *maiores nostri,* inquit, *tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant,* adsentientibus Festo (v. tumultuariis p. 355) et Servio (ad Aen. 2, 486. 8, 1), denique ipsa hac lege altero loco (9, 31), ubi apparitores magistratuum vetantur sacramento rogari *nisi tumultus Italici Gallicive causa.* Eodem pertinet quod refert Livius in annali a. 547 (27, 38), coloni maritimi Romanorum cum sacrosanctam militiae vacationem se habere dicerent, senatum omnes eos populos Romam evocasse cumque suas quisque vacationes recitassent, *nullius, cum in Italia hostis esset, praeter Antiatem Ostiensemque vacationem observatam esse.* Scilicet coloniae pleraeque in legibus sibi datis vacationis exceptionem eam habebant, de qua diximus, quam senatus recte omnino decrevit cessare, donec Hannibal in Italia esset. Antiates autem et Ostienses probabile est vacationem plenam accepisse. Similiter post aliquot annos eaedem coloniae cum apud senatum disceptassent, num rei militaris vacatio etiam ad rem navalem perveniret, non magis obtinuerunt (Liv. 36, 3). Legis verba *militiae vacatio sacro sanctius esto* corrupta crediderim; certe comparativum quo referam non reperio nec adverbium pro adiectivo rationem habet. Quod et sacerdotum et colonorum coloniarum maritimarum vacatio sacro sancta dicitur, redit ad quaestionem, quaenam sint leges sacratae sive sacro sanctae, quae huius disputationis fines excedit. Nobis satis erit verbo monuisse sacrosanctam legem olim fuisse eam, in quam post iussionem publicam universi cives etiam sacramento adigerentur, posteriore autem tempore ita appellatam esse legem, quae, ut Cicero ait (pro Balbo 14, 33), caput eius qui contra eam fecisset consecraret (v. *Staatsrecht* II^3, 286 n. 2). Hanc significationem hoc loco accipiendam esse patet.

Liberis autem quod vacatio aeque procedit, fortasse ad omnes vacationes pertinet; certe Ciceronem supra vidimus, cum veteranis quibusdam militiae vacationem decernit, eam ipsis liberisque eorum decrevisse, omnino tralaticie. Utrum vacent liberi, quamdiu in potestate sint, an in perpetuum, quaeri potest; mihi hoc magis probatur.

Vacatio muneris publici

Vacatio sacerdotibus datur ut militiae, ita omnino muneris publici, ut item iungitur in legis repetundarum v. 79 *eius militiae munerisque poplici.* Sane immunitas si qua publice conceditur, consentaneum est eam ad munera publica omnia pervenire, quamvis plerumque solius militiae mentio fiat utpote omnium munerum gravissimi. Similiter Cicero quoque (acad. pr. 2, 38, 121) *sacerdotes deorum* ait *vacationem habere* universe (cf. Marquardt enchir. III^2, 223);

101

explicatius Dionysius vacare duoviros sacris faciundis *στρατειῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ τὴν πόλιν πραγματειῶν* (4, 62), regem sacrorum *ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς καὶ πολιτικῆς* (5, 1; cf. 4, 74); idem 2, 21 de curionibus scribit: *διὰ παντὸς τοῦ βίου στρατειῶν μὲν ἀπολελυμένους διὰ τὴν ἡλικίαν, τῶν δὲ κατὰ τὴν πόλιν ὀχληρῶν διὰ τὸν νόμον.* Quod si quaeris, quaenam ea munera sint, certe eo pertinent quae posteriore tempore personalia dicuntur, qualis est cura fanorum legis nostrae c. 128 provisa, item munus iudicandi, quamquam aliquando apud Romanos iudicatum est *vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere* (Cicero Brut. 31, 117). Denique honores eatenus muneribus aequiparabuntur, quatenus qui creatus est eos suscipere cogitur; quod ut in urbe Roma mature fiere desiit (*Staatsrecht* I^3, 468), ita in municipiis coloniisque probabile est semper obtinuisse. Ea autem munera, quae patrimoniorum magis sunt quam personalia, num hac antiquissima immunitate comprehensa fuerint si quaeris, respondent annales Livii 33, 42: *magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quaestoribus urbanis .... quaestores ab auguribus pontificibusque quod stipendium per bellum non contulissent petebant. ab sacerdotibus tribuni plebis nequiquam appellati omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est.* Aperte sacerdotes negaverunt se tributo teneri propter immunitatem lege sibi concessam, sed non obtinuerunt, cum ea contributio rei magis quam personae esse videretur.

Neque apparitores sacerdotum liberi homines neque publici attributi eis in lege nominantur, videnturque adeo nulli tales in colonia fuisse, cum aliter vix praeteriri potuerint.

Iudicatio augurum

De auspiciis, lex ait (c. 66 p. 11, 3), *quaeque ad eas res pertinebunt augurum iuris dictio iudicatio esto.* Id ipsum Cicero (de leg. 2, 8, 21) ita enuntiat: (augures) *qui agent rem duelli quique popularem, auspicium praemonento ollique obtemperanto . . . quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira deixerit, inrita infectaque sunto, quique non paruerit capital esto,* cautius et prudentius ille quam lex coloniae; nam proprie augures nec ius dicunt neque iudicant, sed consulti decernunt. Contra enim si qui fecerint, tantum abest, ut augurum sit rem exequi poenamque repetere, ut id semper spectet ad magistratus (cf. *Staatsrecht* II^3, 300 n. 2). At magistratibus cum in eiusmodi re iure auguribus obtemperandum esset, non sine causa ipsi augures ita rem videbantur iudicavisse; plane ut in causis privatis proprie praetoris iudicium est summoque iure solus is causarum iudex habetur, sed cum privatum iubet sententiam ferre, vulgo is et iudicasse dicitur et iudex appellatur.

Feriarum ordinatio

Quod legis c. LXIV duoviri decurionesque cuiusvis anni principio statuere iubentur, *quos et quot dies festos esse et quae sacra fieri publice placeat,* a consuetudine rei publicae Romanae recedit, quippe in qua a Numae inde tempore partim ex publicis fastis, partim legibus moribusve sacra stata procederent. Coniunctum autem
102 est caput hoc cum altero CXXVIII de cura fanorum ex decurionum consulto a magistratibus quotannis ordinanda, de quo diximus p. 216 ibique ostendimus Romae non ut Ursone quotannis singulis templis curatores delectos esse, sed curam eam collegiis maxime in perpetuum permissam.

Cura ludorum

De ludis in colonia faciendis cum antea nacti essemus capita ea quibus agitur de locis spectatorum, scilicet CXXV. CXXVI. CXXVII, quinam ludos edidissent eatenus tantum apparebat, quod a curatoribus fanorum circenses factos esse ex c. CXXVIII (8, 19) intellectum est, item scaenicos ludos a magistratibus coloniae quotannis curatos esse c. CXXVI confirmaverat, cum coloniarum municipiorumque magistratus pariter atque urbanos quotannis ludos facere oportuisse in universum antea quoque constaret (Cod. Theod. 15, 5, 1). Nunc vero c. legis LXX. LXXI edocemur, qui magistratus quos ludos quotannis ediderint. Scilicet ut Romae eo tempore ex patriciis magistratibus praetores et aediles curules ludos edebant, ita in colonia tam duoviris quam aedilibus idem munus iniungitur aequabiliter, scilicet quaternorum dierum utrisque iisdemque impensis de suo faciendis, cum Romae notum sit aediles multo plus in ludos impendisse quam praetores. Quibus diebus ludi faciendi sint cum lege non determinetur, fortasse huc pertinet quod cavetur c. LXIV singulis annis intra X dies postquam magistratus inierint decurionum decreto statuendum esse, qui et quot dies festi eo anno futuri sint. — Novum autem est, ni fallor, quod lege cavetur diem ludorum tum demum numerandum esse, si ludi facti sint maiore parte eius (cf. Friedlaender apud Marquardtium III², 494. 515).

Ludi duovirales, aedilicii

Ex octo illis diebus quattuor ludorum duoviralium et ex aedilicis tres dantur Iovi Iunoni Minervae deis deabusque; hi igitur ludi imitantur Romanos, quamquam in his tria numina Capitolina sola commemorantur (Cicero Verr. 5, 14, 36) nec quod sciam mentio fit deorum dearumque in huius legis c. LXX adiunctorum. — Quartus dies aedilicius destinatus Veneri (p. 12, 23) imitatur ludos institutos a. 708 devicto Cn. Pompeio, dictos modo Victoriae Caesaris divi Iuli, modo Veneris (v. C. I. L. vol. 1 p. 397 [I² p. 322]). Unde confirmatur coniectura, quam olim mecum communicavit Otto Hirschfeld, ipsam coloniam Genetivam a numine gentis Iuliae tutelari Venere genetrice nomen traxisse.

Ludi sicut in urbe impensis publicis fiunt, ubi magistratibus in ludos Romanos ad bellum usque Punicum quotannis ex aerario praebebantur HS · CC milia nummum (Dionys. 7, 71; Pseudo-Asconius p. 142 Orell.), ita colonia quoque duoviris singulis bina milia, aedilibus singulis singula milia annua expendit, ut in summa publice sena milia quotannis in ludos erogentur. Sed cum Romae consuetudine obtinuisset, ut magistratus qui ludos ederent de suo plus minus ad eam summam adderent, lex haec magistratus coloniae singulos non minus bina milia de sua pecunia in ludos impendere iubet, nec dubium est similem legem etiam in reliquis coloniis municipiisque de ludis magistratuum obtinuisse, sacerdotesque, quoscumque pro introitu ludos edere oporteret, simul certam summam in eos ludos impendere iussos esse. Unde iam certius pleniusque quam antea intelleguntur tituli frequentes, qui pecuniam aiunt a magistratibus sacerdotibusve in aliam quandam rem impensam esse *pro ludis,* verbi causa, ut est in pagi scito a. u. c. 660 (C. I. L. I n. 571 [X 3772 = Dessau 6302]), magistros Iovis compagi pecuniam consumpsisse in porticum paganam reficiendam itaque locum in theatro iis attribui *tam quasi si ludos fecissent.* Eiusmodi enims decreta licet non necessario requirant, ut certa pecunia privato sumptu in ludos impendenda lege finita sit, postquam de tali lege certiores facti sumus, recte ad eam referentur. Quid quod ipsa summa honoraria, quam aetate imperatoria in coloniis municipiisque sacerdotes et magistratus et decuriones pro introitu numerare solebant, si non inde repetenda est, certe ad summam legitimam in ludos impendendam quodammodo sese applicuit tamquam augmentum quoddam eius, in alios usus tamen erogandum. De ea summa vide quae composuerunt O. Hirschfeld ann. inst. 1866 p. 63 et Marquardt *röm. Staatsverw.* I², 180.

Impensae ludorum publicae privatae

103

Magistratus num ludos ita fecerit, ut lege iubetur, iudicat senatus; id enim efficitur ex verbis 12, 10 *arbitratu decurionum.*

Iudicium de ludis

Ludi qui fiunt Iovi Iunoni Minervae dicuntur *munus ludive scaenici* (12, 7. 11. 20. 24), ubi munus significet necesse est non gladiatores tantum modo, sed etiam circenses, cum alibi (11, 9) solito more *ludi gladiatoresque* sibi opponantur. Veneri qui eduntur, fiunt *in circo aut in foro* (12, 23), scilicet in circo, si circenses sunt, in foro, si gladiatores praebentur. Ludos a curatoribus fanorum edendos circenses fuisse efficitur ex legis c. CXXVIII 8, 19 (cf. p. 217). — Ordinem sedendi in ludis determinant capita antea edita, scilicet in universum c. CXXV, ludorum scaenicorum c. CXXVI. CXXVII (cf. p. 218). Ad eos, quibus ex hac lege ius fuerit spectandi inter de-

Genera ludorum

curiones (c. CXXVII p. 7, 6, comm. p. 219), iam accedere pontifices auguresque modo (p. 249) vidimus.

Decurionum decreta quomodo fiant

Decreta decurionum, quae in hac parte legis commemorantur, ut fiant, in uno (c. 64) requiritur, ut adsint eorum partes duae, in altero (c. 75) ut non minus L, in tertio (c. 69), ut non minus XX adsint, qui est numerus omnium eiusmodi in hac lege adhuc inventorum minimus; et convenienter agitur eo loco de re iam quodammodo decisa et propterea exigui momenti. In solo primo decreto quod enuntiatur, sane de omnibus obtinet, ut eorum qui adsunt maior pars si consenserit, decretum recte factum sit.

Decuriones quibus de rebus decernant

Causis, propter quas magistratus hac lege decuriones consulere iubentur, octo antea notis (p. 226 seq.) iam accedunt hae.

9. Festos dies secundum c. 64 in singulos annos ordinari decurionum consulto supra p. 252 vidimus. Id decretum IIviri, ut par est, facere iubentur in ipso principio anni sui, id est intra dies X postquam inierunt.

10. Ludos utrum magistratus ex lege ediderint necne, iudicant decuriones (v. supra).

11. Pecunia publica redemptoribus ex lege locationis debita singulis annis eis attribuitur decurionum consulto (c. 69), qua de re infra dicemus, ubi de pecunia publica agetur. Ea pecunia quatenus datur propter sacra resque divinas faciendas, duoviri id decretum iubentur facere intra diem LX postquam magistratum inierunt neque ante hunc diem de alia re ulla ad decuriones referre (c. 69); quae ordinatio aut parum caute scripta est aut in numero erratum. Nam cum lex hoc decretum fieri iubeat ante quam decernatur de diebus festis ex c. 64, de his autem decernendum sit intra diem decimum, sane inutile fuit adicere prius decretum faciendum esse intra diem LX. Hoc utut est, ipsa res sine dubio Romae quoque obtinuit. Nam non solum in universum de rebus divinis prius quam humanis ad senatum referebatur (Varro apud Gell. 14, 7, 9), sed erant etiam quaedam sollemnia religionis, de quibus ante omnia novos consules referre aut more aut lege oportebat (Cicero cum pop. grat. egit 5, 11; Liv. 9, 8, 1. 37, 1, 1; Becker enchir. 2, 125. 422). Inter ea iam opinor nemo dubitabit primaria fuisse decreta de pecunia propter res sacras debita in hunc annum attribuenda, scilicet de pecunia debita ex ultro tributis iis, quae a censoribus in primis locabantur, de cibariis anserum Capitolii et de Iove Capitolino miniando (v. *Staatsrecht* II^3, 428) et si qua similia alia fuerunt.

Quo ordine ea decreta fiant

104

12. Aedificium in oppido si qui deicere vult nec restituere, decurionum decreto ad id opus est (c. 75). De ipsa re infra videbimus.

13. Cui negotium publice de decurionum sententia datum est, eius rationem decurionibus reddere referre iubetur legis c. 80 in diebus CL postquam id negotium aut perfecerit aut certe gerere desierit. Pervenit id imprimis ad legatos, quos ut notum est legationem referre renuntiareve debuisse (v. *Staatsrecht* II³, 689), ita novum est, quamquam fortasse et ipsum a Romanis institutis traductum, id eos iure facere oportuisse intra dies CL post legationem finitam. Sed comprehunduntur hac lege quicumque aliquod negotium publicum ex decreto decurionum susceperunt, ut sunt magistri fanorum huius legis c. CXXVIII itemque curatores, quales sunt annonae et aquarum similesque alii. Nam curae ab honoribus, quibus opponuntur (C. I. L. XIV 3014 = Dessau 6252), eo nomine potissimum differunt, quod non mandantur a populo, sed plerumque ab ordine decernuntur, ut invenitur apud Iulianum Dig. 3, 5, 29 [30] *curator ad siliginem emendam decreto ordinis constitutus.* Nisi quod qui eorum pecuniam publicam tractant, iis probabile est rationem reddendam fuisse non ex hoc capite legis, sed ex alio de ratione reddenda ab eo, ad quem publica pecunia negotii cuiusdam gerendi causa pervenerit, quale superest in aere Malacitano (c. LXVII. LXVIII collato comm. p. 451). De ratione reddenda decurionibus

Ad reditus publicos pecuniamque publicam quae spectant, haec sunt.

1. Agri silvae aedificia c. LXXXII in publicum usum coloniae ita dantur attribuuntur, ut ea neque vendere ei liceat neque longius quam in quinquennium locare. De his Frontinus (grom. p. 17): *de iure territorii,* inquit, *controversia est de his quae ad ipsam urbem pertinent* (ea postea ait *solum agreste, quod in tutelam rei fuerit adsignatum urbanae) sive quid intra pomerium eius urbis erit quod a privatis operibus obtineri non oporteat* (vel, ut postea definit, *urbanum solum quod operibus publicis datum fuerit aut destinatum), eum dico locum,* pergit auctor, *quem nec ordo nullo iure a populo poterit amovere.* Similia habet Hyginus de lim. p. 197, 20 seq. Alio autem loco (p. 54, 17 seq.) quod distinguit Frontinus inter *silvas et pascua publica Augustanorum,* quae *videntur hominibus data* quaeque *vendere possint,* et *silvas et pascua data coloniae Augustae,* quae *videntur ad personam coloniae ipsius pertinere* neque *ullo modo abalienari posse a re publica,* id cum lege nostra non convenit accurate, quoniam quae vetat venire, non coloniae, sed colonis dat. Ceterum collatis his Frontinianis apparet legis capite hoc agi non tam de solo urbano, quamquam semel adscribitur aedificium (14, 30), quam de agris et silvis, quae sunt ipsae silvae et pascua Frontini; poena quoque quae additur in fine legis his solis recte convenit. In universum autem Silvae et pascua coloniae ne veneant 105

cum Romae more magis quam lege obtineret, ut solum publico usui destinatum vendere ne liceret, colonis a populo Romano deductis municipiisque ab eodem constitutis ager ipsa lege ita attribuebatur, ut publicus quidem eorum fieret, sed emptio venditio nullo iure procederet adeoque, si fieret, irrita esset solumque nihilo minus populi eius maneret. — Locari autem ager eiusmodi ut potest et solet, ita hac lege locari vetatur longius quam in quinquennium; id quod recedit ab eo iure quod in coloniis municipiisque certe imperatoria aetate obtinuit. Nam in perpetuum locari solere Gaius (3, 145) ait *praedia municipum quae ea lege locantur, ut quam diu id vectigal praestetur, neque ipsi conductori neque heredi eius praedium auferatur* (cf. Paulus Dig. 6, 3, 1. 39, 4, 11, 1), et passim invenitur ager eiusmodi qui vectigalis dici solet. At ut agri publici populi Romani locatio eiusmodi nulla fuit (*Staatsrecht* II³, 459 sq.), ita Caesar quoque huic certe coloniae agri ita locandi ius lege ademit, neque omnino eum locari voluit nisi in quinquennium, ut duo viri quicumque fierent quinquennales censoria potestate omnia municipum praedia ex integro locarent. Itaque locatio exempli causa in annos centum, qualis Romae ob certas causas facta esse reperitur (Hyginus de cond. agr. p. 116; *Staatsrecht* II³, 459), et ipsa hac lege ordini interdicitur. Videntur autem agri illi vectigales in perpetuum locati non tam proficisci a silvis et pascuis coloniae in ipsa constitutione adsignatis quam a donationibus agrorum privatorum ita effectis, ut ab iis qui eos rei publicae donavissent mox reciperentur vectigali imposito, quod negotium luculenter enarrat Plinius ep. 7, 18. Sed hanc quaestionem huius tractationis terminis nequaquam concludendam satis erit tetigisse. — Quod si quis contra hanc legem agrum coloniae possederit emptionis longiorisve locationis titulo, in singula iuga singulosque annos poena ei iniungitur centenorum sestertiorum, quae et ipsa tralaticia fuisse potest, quamquam alibi quod sciam non commemoratur.

neve ultra quinquennium locentur

2. De viis fluviisque quae caventur c. LXXVIII. LXXIX, in summa re eo redeunt, ut quales fuerunt ante coloniam deductam, tales deducta ea maneant nec minus quam antea publici sint. Id caveri solitum esse in coloniis deducendis gromatici quoque aiunt; ita Hyginus p. 120, 13: *semper auctores divisionum sanxerunt, uti quaecumque loca sacra, sepulcra, delubra, viae publicae ac vicinales*[1],

Viae et fluvii publici

[1]) *Delubra viae publicae ac vicinales* scripsi pro eo quod traditur *delubra adq. publice aquitenales*. Aquae cum postea nominentur, hic locum non habent; viae autem eo magis hic requiruntur, quod quae sequuntur de limitibus adiectis, omnino flagitant viarum quae ante coloniam deductam fuerunt in praecedentibus commemorationem.

fontes fossaeque publicae vicinalesque essent, ... ea omnia[1] *eiusdem condicionis essent cuius ante fuissent: adiectumque ius, ut et limites, id est decumani et cardines, aperti populo essent;* item Siculus Flaccus p. 157, 11: *auctores divisionis adsignationisque leges quasdam colonis describunt, ut* [et *codex*] *qui agri sacris* [sacris *addidi*] *delubris sepulcrisve, publicisque solis itineris, viae, actus, ambitus ductusque aquarum* [quae publicis *delevi*] *utilitatibus servierint ad id usque tempus, quo agri divisiones fierent, in eadem condicione essent qua ante* [inter *cod.*] *fuerant, nec quicquam utilitatibus publicis derogaverunt.* His accurate respondent legis capita duo, nec limites ibi desiderantur. De re conferendus est Rudorffius institut. grom. p. 398. 400. 106

Pecuniam publicam attribuunt duoviri in suum quique annum

3. Ius pecuniae publicae dandae attribuendae apud duoviros fuisse inde confirmatur, quod pecuniam publicam in ludos suos consumendam duoviri ipsi sibi sumunt, cōntra impendenda in ludos aedilicios aedilibus attribuitur a duoviris (c. LXX. LXXI). — Maioris momenti est quod efficitur ex c. LXIX, duoviros pecuniam non attribuisse nisi in suum annum, itaque redemptione facta in annos plures uniuscuiusque anni IIviros summam suo anno praestandam redemptoribus attribuisse. Id ut institutis populi Romani optime convenit, ita ad censores quoque populi Romani recte referetur, modo distinguamus inter pecuniam ipsis attributam, quam exsolverent cum vellent quibusque pensionibus vellent, et pecuniam solvendam ex locatione quidem ab ipsis facta neque tamen de pecunia iis attributa.

Poenae a conductore vectigalis exactae ut in sacra impendantur

4. Pecuniam poenae nomine ob vectigalia coloniae in publicum redactam lex c. LXV iubet non impendi nisi in sacra coloniae; quibus non comprehendi ludos intellegitur ex clausula extrema capp. LXIX. LXX. Quaenam eae poenae sint in ea parte legis quam habemus non inventae, in universum facile apparet; scilicet eae, quae conductori ob pecuniam non iusto tempore solutam vel rem male habitam lege locationis iniunguntur. Ipsa lex nova est, sed causa aperta: scilicet ii, quibus iudicandum erat poenae eae commissaene essent, sive magistratus ii fuerunt sive decuriones sive recuperatores, cum eorum interesset pecuniae publicis usibus destinatae quam maximam copiam aerario esse, ne de sua causa quodammodo iudicare viderentur, hac lege cavebatur, ea pecunia ne in usus publicos erogaretur, sed tantummodo in rem sacram. Quod si non obtinuisset, fieri poterat, ut angustiis aerarii hac via male subveniretur.

Stips ut in sacra erogetur

5. Simile quiddam cavetur c. LXXII de stipe. Scilicet collectis pecuniis certi cuiusdam numinis sacrorum causa (Liv. 25, 12, 14: *lu-*

[1]) *ex omni* codex; emendavit Rudorff grom. auct. 2, 398.

dos praetor in circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini quantam commodum esset conferret, ut alios similes locos mittam), id quod praesertim obtinuit in sacris Magnae
107 matris[1], factisque inde sacris eis, propter quae collata est, si quid superest, id quod passim usu venisse videtur, iure pecunia ea utpote sacra facta et ita quodammodo populi (cf. Frontinus de contr. agr. p. 56: *lucos sacros, quorum solum indubitate p. R. est; Staatsrecht* II[3] 60) in usus publicos erogari poterat. Sed cum cavendum esset, ne ita sub specie sacri quasi quoddam tributum illicitum exigeretur, iubet lex eam e contrario in ea aede consumi, ad quam collata est; plane ut ex lege Furfensi (C. I. L. I n. 603 [= IX 3513 = Dessau 4906 = Bruns Fontes[6] 90]) pecunia ex locatione luci sacri donariisque aedis divenditis redacta ita impendenda est, *quo id templum melius honestius seit.* Eodem referemus, quod in titulo Campano C. I. L. I 569 [= X 3781 = Dessau 5561] anni u. c. 655 *locus privatus āe stipe Dianae* emptus esse dicitur itemque de stipe quaedam posita inveniuntur Aesculapio (C. I. L. VI n. 7 [= Dessau 3836]) et Iovi (C. I. L. I n. 1105 [= VI 379 = Dessau 3038]), denique numinis nescio cuius signum fit *ex stipe, quae ex lacu V[elino e]xsemta erat* (Henzen n. 5129 [C. I. L. XI 4123 = Dessau 5446]). — Plane igitur de stipe valet quod de sacramento: pecunia est populi, sed hac lege, ut consumatur necesse sit, ut ait Festus p. 347, in rebus divinis.

Magistratus qua die ineant

Magistratus huius coloniae ita creatos esse, ut annus exiret pariter atque Romae pridie K. Ian., ex c. LXIII p. 10, 3 intellegitur.

Insignia magistratuum; praetexta, funalia

Quod cavetur c. LXII de insignibus magistratuum, ut tam duoviri quam aediles et togas praetextas gerant et funalia cereosque habeant, de ea re hoc loco non dicam; illud enim pervulgatum est, hoc satis illustratum in secunda editione commentariorum meorum de iure publico Romano (1, 408 [I[3] 423]); hanc enim partem legis tum iam nactus eram, cum eam curavi.

Apparitorum ordines, mercedes, iura

Eodem capite quae continentur de apparitoribus duovirum aediliumque, eam partem institutorum Romanorum nova claraque luce

[1]) Cicero de leg. 2, 9, 22: *praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito* et c. 16, 40: *stipem sustulimus nisi eam quam ad paucos dies propriam Idaeae matris excepimus: implet enim superstitione animos et exhaurit domus* cet. Cf. in universum Marquardt in enchir. III[2] 142. Optandum autem est, ut tota haec de stipe sacra thesaurisque templorum quaestio diligenter retractetur. Quod ut fiat, item hortatur inscriptio aetatis Ciceronianae reperta nuper inter Spoletium et Interamnam editaque a Rossio nostro in actis inst. arch. 1876 p. 36 [C. I. L. XI 4988]. Cernitur in summo lapide foramen destinatum arcae quadratae recipiendae; subscriptum est: *P. Crastinus P. f. Paulus, C. Tittienus Q. f. Macer tesaurum f. c.*

illustrarunt. Repraesentantur ea tabula hac, quam proposui item in iisdem commentariis 1, 321 [I³ 335], hic autem repetam ad aes emendatam:

Apparitores duovirum			*Apparitores aedilium*		
scribae	duo; sing. sest.	MCC	unus sest.	DCCC	
accensus	unus; „ „	DCC			
lictores	duo; „ „	DC			
haruspex	unus; „ „	D	unus „	C	, nisi in numero erratum est.
viatores	duo; „ „	CCCC			
praeco	unus; „ „	CCC	unus „	CCC	
librarius	unus; „ „	CCC			
tibicen	unus; „ „	....	unus „	CCC	

De singulis quae ibi disputavi, non repetam; verbo moneo confirmari 108
sic, quod antea non satis perspiciebatur, scribas quaestorios dictos origine summis magistratibus potissimum apparuisse (l. c. 1, 335 n. 4 [I³ 351 n. 1]); viatores hic quoque aedilibus non magis attribui quam lictores (l. c. 1, 345 n. 4 [I³ 360 n. 6]); locum dignitatemque ordinum horum omnium optime perspici ex mercedum diversitate; denique praeter notas apparitiones scribarum accensorum lictorum viatorum praeconum hic comparere alias librariorum (l. c. p. 331 n. 1 [I³ 346 n. 1]), haruspicum, tibicinum (l. c. p. 351 [I³ 367]) raro praeterea memoratas quaeque videantur recentioris originis omnes, id quod inde maxime apparet, quod hi apparitores singuli omnes procedunt, cum antiqua consuetudo et magistratus et apparitores duo pluresve ut essent requireret (v. *Staatsrecht* I³ 34). — Etiam militiae vacatio apparitorum ex hac demum lege innotuit (l. c. I³ 337 n. 1); fuit autem ea non perpetua, ut pontificum augurumque, sed anno apparitionis conclusa. Comparari potest, quod bello Hannibalico qui publicum quoddam redempturi erant postularunt et obtinuerunt, ut *militia vacarent, dum in eo publico essent* (Liv. 23, 49, 2). — De mercede apparitorum anni primi quae ordinantur c.LXIII impedita sunt et corrupta; videntur tamen aliquatenus posse expediri, si sumamus apparitori nulli mercedem annuam solutam esse, nisi partem quartam anni sui apparuisset Ab hac lege primi anni apparitores ita videntur solvi, ut pro portione temporis quo apparuerint mercedem accipiant nec minus parte quarta.

Paullo maioris momenti est iusiurandum scribarum, de quo tractat legis c. LXXXI. Confirmatur inde quod alio loco ostendi (*Staatsrecht* I³ 347), scribas occupatos fuisse potissimum in rationibus tractandis; sed id eos facere debuisse iuratos alibi non memini me legisse. — Forma iuris iurandi aliunde satis nota est maxime ex lege Bantina C. I. L. I n. 197 v. 17: [*eis consistunto pro ae*]*de Castorus palam* Ius iurandum scribarum

luci in forum versus et eidem . . . apud q(uaestorem) iouranto per Iovem deosque [*Penateis*] . . . . . *quaestorque . . . eos quei ex h. l. apud sed iurarint facito in taboleis* [*popliceis perscribat*]. Iurant scribae tantummodo per Iovem deosque Penates, ut solebant libera etiamtum re publica (*Stadtrechte von Salpensa* p. 460; *Staatsrecht* I[3] 619) non adiecto Caesaris genio, cum imperatoria aetate ad Iovem deosque Penates addantur genius principis qui est et divi principes qui fuerunt. Novum unum accedit, quod iusiurandum adigitur non tantum *in contione palam*, quod item est in legis Malacitanae c. 59, sed

Nundinae

etiam *nundinis*. Unde probabile est Ursone idem fere obtinuisse, quod nuper senatus consultum a. 138 de nundinis saltus Beguensis in Africa (Eph. Epigr. 2, 273 [C. I. L. VIII S. 11451 = Bruns Fontes[6] 58]) et tituli provinciales alii (l. c. p. 280; *Bullet. dell' inst.* 1876 p. 80 [C. I. L. VIII 6357 = Dessau 6868]) aperuerunt, scilicet ut bis per mensem statis diebus nundinae ibi agerentur.

Servi publici

Servi publici quod nulli dantur duoviris, *IIII publici cum cincto limo* adsunt aedilibus (c. LXII p. 9, 16), recte respondet institutis urbis Romae, ubi item publici servi aedilibus praecipue ministrant (*Staatsrecht* I[3] 327). Nos de hoc quoque loco alibi diximus ibidemque egimus de insigni publicorum cincto limo (l. c. I[3] 324 n. 1).

109 Magistratuum officia

De magistratuum iure officiisque praeter ea quae supra iam tetigimus, non multa ex his capitibus nova emergunt. Notandum est

Ius demoliendi

c. LXXV demoliendi aedificii contra legem facti ius non tantum aedilibus concedi, qua de re satis constat (v. *Staatsrecht* II[3] 506. 512), sed duoviris quoque, scilicet quod summum magistratum, cum res urget, semper oportet minoribus magistratibus opitulari eorumque munia quodammodo in se recipere (l. c. II[3] 139).

Res iudiciaria Manus iniectio iudicati

Multo maioris momenti sunt, quae de re iudiciaria addiscimus ex c. LXI. Id si integrum ad nos pervenisset, plenius aliquanto de manus iniectione constaret; sed vel sic utilia sunt quae inde intelleguntur. Quae praecesserint necesse est de actione adversus reum aliquem populi nomine instituta factaque condemnatione, desiderantur; incipit lex a verbis iis quae pertinent ad manus iniectionem ob iudicatum, quam enarrat Gaius 4, 21. At manum hic inicit non is qui egit ipse, sed alius ab eo qui egit iussus; quo videtur significari in priore iudicio populi nomine egisse duovirum, quem alibi quoque videmus in eiusmodi causis praetoris petitorisque partibus simul fungi (v. p. 231 seq.), manus autem iniectionem non tam per eum quam apud eum fieri.

Presso pede hoc loco lex coloniae sequitur legem XII tabularum. Quae in illa leguntur verba: *vindex arbitratu IIviri quive iure dicundo praeerit locuples esto* respondent noto loco earum et

sine dubio ipsi capiti de manus iniectione inserendo *adsiduo vindex adsiduus esto. Vindex locuples* ut detur, requirit etiam lex Rubria c. 21 (C. I. L. I n. 205) idemque vocabulum est apud commentatorem XII tabularum Gaium (Dig. 50, 16, 234, 1). Arbitratus duoviri quo pertineat, explicat idem, cum requirit (Dig. 2, 8, 5, 1) fideiussorem sistendi causa locupletem *pro rei qualitate.*

Quae sequuntur in lege coloniae *ni vindicem dabit iudicatumve* (male in aere est *iudicatumque*) *faciet, secum ducito,* plane expressa sunt ex XII tabulis: *ni iudicatum facit aut quis endo eo in iure vim dicit, secum ducito.*

Item cum pergit lex coloniae: *iure civili vinctum habeto,* adlegat quodammodo caput XII tabularum de eadem re: *vincito aut nervo aut compedibus: XV pondo ne minore aut si volet maiore vincito: si volet, suo vivito* et quae sequuntur.

Vinctum deinde tabulae cavent trinis nundinis in comitium producendum esse, deinde venire posse. De vendendi iure cum lex coloniae taceat, inde colligemus Caesaris aetate manus iniectionem iudicati et ducendi ius ita mansisse, ut qui ductus esset, vinctus remaneret quamdiu creditor vellet, vendendi vel occidendi iure sublato. Qua de re etsi aliunde quoque constat (v. e. c. Cicero pro Flacco 21, 49; l. Rubria C. I. L. I n. 205 II, 19. 46), nihilominus testimonio id ut tacito, ita certo et evidenti nunc confirmari iuris prudentes opinor magni facient.

Extrema quae sunt in hoc capite legis Hispanae: *si quis in eo vim faciet, ast eius vincitur, dupli damnas esto* et ipsa proficisci ex antiquissima lege Romana vel sola particula *ast* pro *si* satis ostendit in iure nondum inventa nisi in excerptis ex XII tabulis. Vim autem fecit opinor vindex is, qui iudicatum adseruit in libertatem, si sa- 110
cramentum eius iniustum iudicatum est; videnturque verba legis Hispanae *qui in eo vim facit* respondere quodammodo verbis, quae tradita habemus ex lege XII tabularum *qui endo eo vim dicit,* ut hic sit vindex qualiscumque, ille vindex iniustus. Nam ne credas qui vim facit e contrario eum esse qui contra ius manum iniecerit quemque ita vindex recte repulerit, obstat primum quod vindici eive quem vindicavit adsertione iusta iudicata dupli actionem in adversarium datam esse nec traditum est nec veri simile, constat autem de dupli actione in vindicem falsum, unde postea enata est actio in duplum iudicati. Obstat deinde quod propter manus iniectionem iustam iniuste elusam recte colonis actio datur, cum per eam reum condemnatum sibi perdiderint; at manus iniectio non iusta tantum abest ut colonis damnum inferat, ut e contrario eo casu ipsi quodammodo

videantur ei cui manus iniecta est damnum fecisse. Itaque recte huc referemus locum tabularum a Festo servatum p. 376 (XII, 4 Schoell): *si vindiciam falsam tulit, si velit, is [prae]tor arbitros tris dato: eorum arbitrio [rei et] fructus duplione damnum decidito,* nisi quod his verbis praeterea forma iudicii determinatur. Ab ea forma lex recentior, ut modo diximus, ita recedit, ut praeter duplam antiquam[1] iniusto adsertori in causa coloniae poenam iniungat sestertium milium XX.

Agri privati condicionem lex capitibus quinque a LXXIII ad LXXVII et continuis inter se et re coniunctis ita determinat, ut quid in agro suo domino facere non liceat accurate et plene caveat.

Sepulcrum in oppido ne fiat

I. Quod est in lege XII tabularum *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito,* ut alibi passim redit, ita huius quoque legis c. LXXIII continetur. Cautum id esse non tam propter ignis periculum, ut ait Cicero de leg. 2, 23, 58, quam, ut habent iuris auctores, *ne funestentur sacra civitatis* (Paulus s. r. 1, 21, 2), *ne sanctum municipiorum ius polluatur* (Cod. Iust. 3, 44, 12), eo comprobatur, quod id ius obtinet etiam hac lege teste non intra continentia aedificia, sed intra pomerium solummodo. — Cum sanctione legis, scilicet ut magistratus coloniae publice demoliantur quod contra hanc legem factum erit, item qui contra fecerit poenam HS V milium sustineat, componi potest quod rescripsit Hadrianus (Dig. 47, 12, 3, 5), si quis in civitate sepulcrum fecerit, locum publicandum esse poenamque XL aureorum fisco inferendam. Sepulcrum propter legem violatum nihilo minus expiandum fuisse consentaneum est; neque aliam ob causam Paulus postquam de hac lege exposuit sic pergit (s. r. 1, 21, 4): *qui corpus perpetuae sepulturae traditum .... nudaverit et solis radiis ostenderit, piaculum committit.*

111 Ustrina nova ad urbem ne fiat

II. Ustrinam novam qui facere volet, id ei non licere propius oppidum passus D cavetur capite quod sequitur LXXIV, scilicet propter ignis periculum; ut ob eandem causam monumentis quoque passim inscribebatur ustrinum iis applicari non licere (Orell. 4384; Grut. 1044, 8 [C. I. L. VI 4410 = Bruns Fontes[6] p. 338 n. 29. Cf. C. I. L. VI 29900—29902]). Vetusta consuetudine e contrario tam sepulcra quam ustrinae ante ipsas portas instituebantur; id quod Romae certe ita obtinuit et Ursone quoque similiter obtinuisse lex ostendit eo ipso, quod solas ustrinas novas prohibet.

[1]) Quod amicus quidam mihi significavit fieri posse ut caput hoc pertinuerit ad iudicatum aliquod poenae causa factum sestertium XX milium itaque de una poena solummodo agi, mihi non probatur: duplicem enim condemnationem requirit quod in lege bis repetitur *damnas esto.*

III. Legis huius c. LXXV edocemur Caesaris aetate ius obtinuisse, ut aedificium urbanum domino demoliri ne liceret nisi aut decuriones id ei permisissent aut praedes populo dedisset aedes deiectas se reaedificaturum esse. Neque enim hoc ius singulare est coloniae Genetivae, sed clausula haec legis ut pleraeque aliae ad colonias municipiaque a populo Romano constituta communiter pertinuit, ut ne hoc quidem a specie veri abhorreat vel in urbe eandem legem obtinuisse. Eius legis vestigia alibi quoque passim reperiuntur. [Cf. supra pag. 158.] Simillimum huic caput est LXII legis Malacitanae: *Ne quis in oppido municipii Flavi Malacitani quaeque ei oppido continentia aedificia erunt, aedificium detegito destruito demoliundumve curato nisi decurionum conscriptorumve sententia, cum maior pars eorum adfuerit, quod restituturus intra proximum annum non erit. Qui adversus ea fecerit* et reliqua, plane ut in hac lege cavetur. Sic Alexander quoque a. 224 (C. Iust. 8, 10, 3): *an in totum,* inquit, *ex ruina domus licuerit non eandem faciem in civitate restituere, sed in hortos convertere, et an hoc consensu tunc magistratuum non prohibentium, item vicinorum factum sit, praeses, probatis his quae in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt, causa cognita statuet.* Item Diocletianus collegaeque (C. Iust. 11, 30 [29], 4): *si secundum legem civitatis res publica, cuius meministi, ruina collapsis aedificiis tuis distraxit aream, nihil contra huius legis tenorem rector provinciae fieri patietur.* Ex iuris auctoribus *ad curatoris rei publicae officium spectat,* Paulus ait (Dig. 39, 2, 46), *ut dirutae domus a dominis extruantur: domum sumptu publico extructam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum usuris restituere noluerit, iure res publica distrahit.* Item Ulpianus (Dig. 1, 18, 7): *praeses provinciae inspectis aedificiis dominos eorum causa cognita reficere ea compellat et adversus detractantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.* Addo constitutionem a. 377 (C. Iust. 8, 10, 8): *Singularum urbium curiales etiam inviti vel reparare intra civitates quas olim habuerint domus vel ex novo aedificare cogantur . . . Possessores vero qui non erunt curiales in urbibus, in quibus domus possident, easdem domos dirutas neglectasque reparent iudiciaria ad conservandum hoc praeceptum auctoritate retinendi.* Aedificium in oppido ne diruatur

Curam aedificiorum urbanorum non diruendorum nisi reficiendi causa iam apparet ipsa aetate liberae rei publicae colonis municipiisque legibus suis commissam esse; neque tamen tum ea res pertinuit ad eos qui Romae res curabant. At procedente tempore certis casibus hi quoque intervenire coeperunt, ut senatus consulto auctore Claudio facto domini vetabantur aedificia negotiationis causa

112 diruere, scilicet ut iam ne consentientibus quidem rei publicae eius decurionibus eiusmodi demolitio perfici posset. Similiter Hadriani aetate publice cautum est ne in ulla civitate domus dirueretur *transferendae ad aliam urbem ullius materiae causa* (vita Hadriani 18, 2); id est eiusmodi demolitionem decuriones permittere vetabantur. Labente deinde aetate cum cura rerum publicarum ad imperatorem quodammodo transferretur curatoresque is rebus publicis dare inciperet, ipsa privatorum aedificiorum in municipiis cura ita quodammodo a decurionibus ad imperatorem magistratusque ab imperatore constitutos translata est, unde iam de ea etiam Ulpianus et Paulus tractaverunt. Fusius de hac re dixi in commentario ad legem Malacitanam p. 480 seq.

Figlinae in oppido ne fiant

IV. Figlinas teglarias tegulariumque (quod a figlinis teglariis quomodo differat, frustra quaesivi) etsi noramus institui solitas esse extra oppida (ut ipsa fundorum nomina inscripta habent tegulae quaedam apud Marinium Arv. p. 608), ita nunc demum innotescit ne licuisse quidem eas in oppido facere, si maiores essent tegularum CCC, diurnarum opinor; conferri potest quod ex tegulis quibusdam Sisciensibus nuper intelleximus operis per dies singulos tegulas talis certe generis, quales sunt illae, faciendas fuisse ducenas vicenas (v. Eph. Epigr. 2, 434 [n. 925 = C. I. L. III S. 11378]). — Contra si quis fecerit, locus publicus fit; quocum componemus, ne eius generis poenam ab institutis liberae rei publicae abhorrere credas, quod ait Frontinus de aq. 97: *agri, qui aqua publica contra legem essent inrigati, publicabantur.* Ea publicatio quomodo effectum habeat, non satis perspicitur, cum verba legis, ut recte monuit Krueger, impedita sint et fortasse quaedam exciderint. Expectamus sane talia: *eiusq(ue) aedificii* [*qui volet petitio esto, quantique ea res erit*], *quicumque in c(olonia) . . . . i(ure) d(icundo) p(raeerit) . . . eam pecuniam in publicum redigito.* Scilicet probabile est de tegulario commisso per formulam petitoriam colonorum nomine agere potuisse qui vellet; deinde victo reo eum aut restituisse fundum rei publicae itaque absolutum esse, aut condemnatum esse tantae pecuniae, quantae fundus esset, eamque pecuniam solito more magistratum exegisse (cf. 10, 8: *eiusque pecuniae cui volet petitio, IIviro . . exactio . . . esto*).

Viae publicae ne fiant in agro privato invito domino

V. Denique quae c. LXXVII caventur de viis fossis cloacis instituendis muniendisve eo redeunt, ut magistratibus eius rei causa libere uti liceat agro coloniae, agro privato uti ne liceat nisi consentiente domino. Convenit id in universum cum iis quae in commentario ad c. XCIX p. 227 exposuimus de aqua publica per agrum privatum ducenda.

DIE STADTRECHTE

DER

LATINISCHEN GEMEINDEN

SALPENSA UND MALACA

IN DER PROVINZ BAETICA.*)

*) [Abh andl. d. Sächs. Ges. d. Wissensch. III, 1855, S. 361—507.]

I. II.

TEXT*)

LEGIS MUNICIPII FLAVII SALPENSANI PARS.

. . . . . .

[Rubrica. Ut magistratus civitatem Romanam consequantur.] col. I

[XXI] . . . . . [Qui IIvir aedilis quaestor ex hac lege factus erit, cives Romani sunto, cum post annum magistratu] abierint, cum parentibus coniugibusque [a]c liberi[s], qui legitumis nuptis quae|siti in potestatem parentium fuer[i]nt, item nepotibus ac neptibus filio | nat[is natabu]s, qui quaeque in potestate parentium fuerint; dum ne plures c(ives) R(omani) | sint, qua[m] quod ex h(ac) l(ege) magistratus creare oportet. |

R(ubrica). Ut qui civitat(em) Roman(am) consequantur, maneant in eorundem m(ancipi)o m(anu) | potestate. | 5

*) [An die Stelle des überlieferten (I) und des berichtigten (II) Textes, die M. hier hatte abdrucken lassen, ist der Text des Nachtrags Abh. d. sächs. Ges. d. Wissensch. III S. 489 ff. gesetzt, revidiert nach den Abdrücken im C. I. L. II 1963. 1964, vgl. Suppl. p. 876, Bruns Fontes 6. Aufl. p. 142 fg. und Dessau Inscriptiones selectae II, 1 p. 516—525. Weitere Litteratur: E. Laboulaye, Les Tables de bronze de Malaga et de Salpensa, Paris 1856. Ch. Giraud, Les tables de Salpensa et de Malaga, Paris 1856. Van Lier, De inscriptionibus Salpensana et Malacitana, Traiect. ad Rhen. 1865. C. M. Asher, Notice sur l'époque et la méthode et la fabrication des tables de Malaga, lettre à Mr. Laboulaye, Paris 1866. P. I. Swinderen, Disquisitio de aere Malacitano et Salpensano, Groningen 1867. Asher, Über das XXII. Capitel der Tafel von Salpensa nebst einer Analyse der ganzen Tafel, Heidelberg 1867. Ch. Giraud, La lex Malacitana, Paris 1868. Arndts, Zeitschr. f. Rechtsgesch. VI (1867) S. 392 ff.].

I, 1 hac liberi 2 fuerunt 3 natalis 4 qua

col. I XXII. Qui quaeque ex h(ac) l(ege) [exve] edicto imp(eratoris) Caesaris Aug(usti) Vespasiani imp(eratoris)ve Titi | Caesaris Aug(usti) aut imp(eratoris) Caesaris Aug(usti) Domitiani p(atris) p(atriae) civitatem Roman(am) | consecutus consecuta erit, is ea in eius, qui c(ivis) R(omanus) h(ac) l(ege) factus erit, potestate | manu manicipio, cuius esse deberet, si [civitate] mutatus | mutata non esset, esto idque ius tutoris optandi habeto, quod | haberet, si a cive Romano ortus orta neq(ue) civitate mutatus mu|tata esset.

492 R(ubrica). Ut qui c(ivitatem) R(omanam) consequentur, iura libertorum retineant.

XXIII. Qui quaeve [ex] h(ac) l(ege) exve edicto imp(eratoris) Caes(aris) Vesp(asiani) Aug(usti) imp(eratoris)ve Titi Caes(aris) Vespasian(i) Au(gusti) | aut imp(eratoris) Caes(aris) Domitiani Aug(usti) c(ivitatem) R(omanam) consecutus consecuta erit, is in | libertos libertasve suos suas paternos paternas, qui quae in c(ivitatem) R(omanam) non | venerit, deque bonis eorum earum et is, quae libertatis causa inposita | sunt, idem ius eademque condicio esto, quae esset, si civitate mutat[u]s | mutat[a] non esset.

R(ubrica). De praefecto imp(eratoris) Caesaris Domitiani Aug(usti). |

XXIIII. Si eius municipi decuriones conscriptive municipesve imp(eratori) Caesar[i] Domitian(o) | Aug(usto) p(atri) p(atriae) IIviratum communi nomine municipum eius municipi de|tuler[i]nt, imp(erator)[q]ue Domitian[us] Caesa[r] Aug(ustus) p(ater) p(atriae) eum IIviratum receperit | et loco suo praefectum quem esse iusserit, is praefectus eo [i]u[r]e esto, quo | esset, si eum IIvir(um) i(ure) d(icundo) ex h(ac) l(ege) solum creari oportuisset isque ex h(ac) l(ege) solus | IIvir i(ure) d(icundo) creatus esset.

R(ubrica). De iure praef(ecti) qui a IIvir(o) relictus sit. |

XXV. Ex IIviris qui in eo municipio i(ure) d(icundo) p(raeerit), uter postea ex eo municipio proficiscetur | neque eo die in id muni-

---

7 quaeve *Berlanga* 8 exve ex edicto 9 *man erwartet* est erit, *aber die Worte* exve edicto *bis* p. p. *scheinen vielmehr späterer Nachtrag* 10 civitate Romana mutatus 16 *a. E.* con *Berl.;* ///ION *der Abdruck, wie ich vermuthet hatte* 18. 19 mutatis mutatae 20 caesaris domitian *Abdruck;* domitiani *Berl.* 22 tulerant imp ve domitiani caesaris 23 eo u e *die Tafel, so dass zwischen* o *und* u, u *und* e *Zwischenräume von einem Buchstaben bleiben und dem Graveur ein beschädigtes* [i]u[r]e *vorgelegen haben kann. Früher vermuthete ich:* [iure loco]ve 27 municipum

cip[i]um esse se rediturum arbitrabitur, quem | praefectum muni- col. I
cipi non minorem quam annorum XXXV ex | decurionibus con-
scriptisque relinquere volet, facito ut is iuret per | Iovem et
divom Aug(ustum) et dium Claudium et divom Ves[p](asianum)
Aug(ustum) et divom | Titum Aug(ustum) et genium imp(eratoris)
Caesaris Domitiani Aug(usti) deosque P[e]nates,|quae IIvir[um] qui 493
i(ure) d(icundo) p(raeest) h(ac) l(ege) facere oporteat, se, dum
praefectus erit, d(um) [t](axat) quae eo | tempore fieri possint,
facturum neque adversus ea [f]acturum scientem | d(olo) m(alo);
et cum ita iuraverit, praefectum eum eius municipi relinquito.
[E]i | qui ita praefectus relictus erit, donec in id municipium alter-
uter ex IIviris | adierit, in omnibus rebus id ius e[a]que potestas
esto praeterquam de praefec|to relinquendo et de c(ivitate) R(o-
mana) consequenda, quod ius quaeque potestas h(ac) l(ege) | IIvi-
ri[s qui] iure dicundo praeerunt datur. Isque dum praefectus
erit quo|tiensque municipium egressus erit, ne plus quam sin-
gulis diebus abesto. |

R(ubrica). De iureiurando IIvir(um) et aedil(ium) et q(uae-
storum). |

XXVI. Duovir(i) qui in eo municipio [i](ure) d(icundo) p(raesunt), item
aediles [qui] in eo municipio sunt, item | quaestores qui in eo
municipio sunt, eorum quisque in diebus quinq(ue) | proxumis
post h(anc) l(egem) datam; quique IIvir(i) aediles quaestoresve
postea ex h(ac) l(ege) | creati erunt, eorum quisque in diebus
quinque proxumis ex quo IIvir | aedil[i]s quaestor esse coeperit,
priusquam decuriones conscriptive ‖ habeantur, iuranto pro con- col. II
tione per Iovem et dium Aug(ustum) et divom Claudi|um et di-
vom Vespasianum Aug(ustum) et divom Titum Aug(ustum) et
genium Domitiani | Aug(usti) deosque Penates: se, quodqu[o]mque
ex h(ac) l(ege) exqu[e] re communi m(unicipum) m(unicipi)
Flavi | Salpensani censeat, recte esse facturum, ne[q]ue adversus
h(anc) l(egem) remve commu|ne[m] municipum eius municipi factu-

---

